R. P. Sebastiani Izqvierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs Theologicvm, Iuxta atque ...

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1664

Quæst. 2. Quasnam passiones seu proprias, seu communes habeat vnumquodque infinitum eorum, quæ q 1. exposita sunt.

absque eo, quòd homo, & Angelus tantam bonitatem, tantam virtutem, tantamque perfectionem habeant; quantam reuerà habent. Quod ipsum est, quantitatem metaphysicam, quam habent in homine, & Angelo ea omnia ipsorum prædicata, quæ ex suo conceptu dicuntur suscipere metaphysicè magis, & minus, cum suis passionibus essentialiter conuenire ipsi homini, & Angelo. Eosque proinde secundùm essentiam, seu per essentiam, non verò secundùm accidens, seu per accidens tam magnos quoad talia prædicata esse, quàm sunt reuerà, neque maiores, neque minores. Tantumdemque de cæteris entibus, de cæterisque conceptibus obiectiuis quantitatem metaphysicam cum suis passionibus habentibus dicendum est.

17 Vbi solerter est aduertendum, cùm dicimus, ens quoduis esse metaphysicè quantum, atque adeò magnum, aut paruum, finitum, aut infinitum, &c. secundùm essentiam, seu per essentiam, seu essentialiter, non ita id intelligendum esse, vt putetur essentia talis entis esse metaphysicè quanta formaliter, quasi sit ex genere eorum conceptuum, qui suscipere dicuntur metaphysicè magis, & minus. Non enim est ita: quia essentiæ rerum sumptæ formaliter ex genere potiùs sunt aliorum conceptuum, qui quantitate metaphysicâ destituti in indiuisibili dicuntur consistere. Ob id enim nequit dici Angelus esse maior, quàm homo, in essendo id, quod est præcisè; quemadmodùm neque in existendo. Nec dici potest Angelus magis esse id, quod est, quàm homo; sicut nec magis existere, quàm homo, &c. Sed sensus dicti modi loquendi est, conuenire cuiuis enti quantitatem metaphysicam repertam reuerà in prædicatis, quæ ipsius essentiæ specificæ, siue speciali annexa sunt, quemadmodùm ipsi conueniunt prædicata ipsa. Atque ita, quo sensu dicitur quoduis ens esse essentialiter, seu per essentiam, seu secundùm essentiam suam specialem, siue specificam bonum, perfectum, potens, &c. bonitate scilicet, perfectione, potentiâque propria talis essentiæ: eo quòd hæc prædicata ipsi tali essentiæ essentialiter, seu necessariò annexa sunt; eodem sensu dici esse illud essentialiter, seu per essentiam, seu secundùm essentiam suam specificam magnum, aut paruum, finitum, aut infinitum, &c. scilicet quoad propriam talis essentiæ bonitatem, aut perfectionem, aut potentiam, &c. quibus formaliter competit eiusmodi quantitas.

18 Ex quibus omnibus iam liquido apparet, quo pacto quoduis ens infinitum secundùm quantitatem physicam secundùm accidens, seu per accidens, seu accidentaliter; quoduis verò ens infinitum secundùm quantitatem metaphysicam secundùm essentiam, seu per essentiam, seu essentialiter infinitum veniat censendum. Vtrùm autem aliquod ens creatum aut sit, aut esse possit reuerà infinitum secundùm essentiam in sensu explicato, saltem in vno, aut altero genere, tametsi fortassè expediens sit, non tam secundùm essentiã, quàm secundùm quantitatem metaphysicam infinitum illud vocare; ex dicendis in decursu huius disputationis constabit. Id certum, Deum in sensu dicto infinitum esse secundùm essentiam in omni genere. Idque non solùm; quia æquiualenter est tam perfectus, quàm cætera omnia entia omnis generis; sed insuper quia totam ipsorum perfectionem continet eminenter in se; quod ipsius solius proprium est. Tum solùm Deum in alio sensu esse infinitum per essentiam, quatenus à se ipso, & non ab alio habet suam infinitudinem; sicut & cætera attributa. De quo agendum disp. 14.

Ex quibus etiam omnibus iam demum constat. Quid sit infinitum. Et quotuplex. Quod erat propositum quæstionis. In quonamque consistat quoduis infinitum eorum, in quæ infinitum sumptum in genere diuisum est. Id vnum tandem aduerto, finitum infinito opponi. Atque adeò finitum venire dicendum vniuersè, quidquid exhauriri, seu pertransiri potest succesiuè; sicut infinitum è contra dicitur vniuersè, quidquid exhauriri, seu pertransiri non potest successiuè. 19

QVÆSTIO II.

Quasnam passiones seu proprias, seu communes habeat vnumquodque infinitum eorum, quæ q. 1. exposita sunt.

SVccedit quæstio hæc loco eius, quam in vnaquaque ex disputationibus metaphysicis ex propositionibus euidentibus aut per se notis, aut demonstratis solemus compingere. Visum est tamen, variato stylo, sub præfixo titulo aliter, quàm alias, eam proponere. Quia, licet pleræque propositiones, ex quibus coalescet, euidentes haud dubiè erunt vel ex terminis, vel ex iungendâ demonstratione: nonnullæ fortassè occurrent, quæ tales non sint aut absolutè, aut apud aliquos Auctores sentientes oppositum. Præscindendum autem est in hac quæstione à possibilitate, & impossibilitate vniuscuiusque infiniti. Nam, siue sit illud possibile, siue impossibile, suas passiones habere potest etiam euidenter scibiles. Imo verò ex eius passionibus semel scitis, & statutis inferenda veniet posteà scientificè possibilitas, aut impossibilitas eius. Procedet autem resolutio huius quæstionis, sicut & aliarum similium, per aliquot propositiones methodicè ordinatas; vt sequitur. 20

Propositio 1.

Impossibile est, dari in statu existentiali infinitum syncategorematicum aut extensionis, aut multitudinis, quin sint possibiles, atque adeò quin dentur in statu possibilitatis, siue quiditatiuo partes aliquotæ similis extensionis, aut vnitates similis multitudinis categorematicè infinitæ. 21

Demonstratur facilè, & clarè. Quia infinitum syncategorematicum existentiale finitum quoddam est augibile in infinitum per alias, atque alias partes, aut vnitates ei adiungibiles sine fine, quin detur vltima, vltra quam aliæ adiungi nequeant, iuxta definitionem statutam q. 1. At hoc stare nequit, nisi partes, aut vnitates adiungibiles, atque adeò possibiles in suo possibilitatis statu sint categorematicè infinitæ, vt est manifestum. Nam aliàs successiuè perueniri posset ad vltimam, vltra quam non essent aliæ adiungibiles contra suppositionem per ipsam definitionem factam. Ergo, &c.

Hinc euidenter, & vniuersaliter infertur, in- 22 infinitum syncategorematicum essentialiter connotare, siue supponere prout in alio statu, sub aliâ ve consideratione infinitum categorematicum, Quia euidenter est impossibile, vt quidpiam finitum successiuè sit augibile in infinitum per aliud, & aliud additamentum absque vllo limite; quale esse debet infinitum syncategorematicum iuxta suam definitionem; nisi multitudo huiuscemodi additamentorum in se ipsâ considerata sit categorematicè infinita. Alioquin successiuè finiri posset. Vnde eueniret, vt illud finitum per talia additamenta augibile, non esset augibile in infinitum contra suppositionem imbibitam in ipsius essentiâ: quia per aliquod tandem additamentum esset augibile, vltra quod iam ampliùs per aliud augibile non esset.

23 Aduertendum autem hic est pro dicendis, nomine infiniti absolutè, & absque additione, aut limitatione prolato semper venire intelligendum infinitum categorematicum, vtpote quod propriè est infinitum. Nunquam verò syncategorematicum, nisi speciatim exprimatur, vtpote quod minùs propriè infinitum est.

Propositio 2.

24 Idem quantum secundùm eamdem rationem esse finitum simul, & infinitum, impossibile est.

Est certissimum, Quia impossibile est, vt idem quantum secundùm eamdem rationem simul sit, & non sit pertransibile successiuè; quia simul essent vera duo extrema contradictoria contra euidentissimum principium statutum in Pharo Scient. disp.9, q.5. proposit.1. At esse finitum, est esse pertransibile, & esse infinitum non esse pertransibile successiuè iuxta definitiones datas q.1. Ergo, &c.

Propositio 3.

25 Ex duobus quantis finitis vnum quantum infinitum componi, impossibile est. Necessariò quippe debet esse finitum totum, compositum ex duabus partibus finitis; subindeque in ipsas diuisibile.

Hæc propositio principium est receptum ab omnibus in hac materiâ, ex ipsis terminis euidentissimum. Manifestissimum quippe est, quoties ambæ partes, ex quibus componitur totum, sumptæ seorsim sunt pertransibiles successiuè, atque adeò finitæ iuxta definitionem finiti statutam q.1. non posse non & ipsum totum esse pertransibile successiue; (tametsi tempore longiore); atque adeò finitum. Quandoquidem nihil est quod vetet, quominùs post integrum transitum successiuum vnius partis, integer transitus successiuus alterius fiat in tempore subsequente.

26 In hoc autem idem principium recidit illud, quod solet circumferri in istâ materiâ. Finitum additum finito non potest facere infinitum. Vnde rursus aliud non minùs euidens infertur. Quantum excedens aliud quantum finitum excessu finito non potest non esse finitum: quia non potest non esse compositum ex duabus partibus finitis, scilicet ex eo excessu, & ex quanto æquali alteri finito, atque adeò etiam finito.

Propositio 4.

Ex quauis multitudine finitâ, seu numero partium in se finitarum quantum infinitum componi, impossibile est. Necesse quippe est, vt sit totum finitum, quotiescunque multitudo partium, ex quibus componitur, quantumuis illa sit magna, finita est, omnesque, & singulæ partes ipsæ in se sunt finitæ. 27

Hæc propositio ex proposit.3. demonstratur. Quia iuxta illam omnes binarij cuiusuis multitudinis finitæ partium in se finitarum finiti sunt, vtpote tota quædam composita ex duabus partibus finitis. Ob eamdemque rationem sunt finiti omnes quaternarij. Et rursus omnes octinarij similiter. Et ita ascendendo, donec perueniatur ad vltimam compositionem, qua integra multitudo ex duabus partibus finitis composita est. Ad eam autem tandem perueniendum necessariò esse, est clarum. Quia multitudo pertransibilis à primâ ad vltimam vnitatem, facto per singulas transcursu, qualis omnis finita est, multo citiùs pertransibilis erit à primo ad vltimum gradum seriei proportionalis coalescentis ex illis, ascensu facto ab vnitatibus in proportione duplâ; vt est notum.

Propositio 5.

Nullum quantum finitum ex multitudine infinita partium aliquotarum in se finitarum potest esse compositum. 28

Quia quoad omnes suas partes aliquotas successiuè pertransibile esset iuxta definitionem finiti statutam q.1. Et simul non esset: quia multitudo infinita partium impertransibilis est successiuè iuxta definitionem infiniti statutam ibidem.

Propositio 6.

Quantum compositum ex vnâ parte infinitâ necessariò est infinitum: tametsi residua pars sit finita. 29

Est clarum. Quia, si pars est impertransibilis successiuè, potiore iure totum ipsam includens, & aliam addens euadet tale.

Hinc sequitur, quantum infinitum per nullum additamentum posse reddi finitum. 30

Propositio 7.

Nullum quantum finitum ex aliquâ parte in se infinitâ potest esse compositum. 31

Quia esset finitum vt supponitur; & simul infinitum iuxta proposit. 6. Quæ duo cohærere non possunt iuxta proposit.2.

Propositio 8.

Quoties quantum infinitum in quamlibet multitudinem finitam, seu numerum partium diuisum est, aliqua saltem talium partium in se necessariò debet esse infinita. 32

Quia

Quia si omnes essent in se finitæ, quantum ex illis compositum, & in illas diuisum non esset infinitum, vt supponitur; sed finitum iuxta proposit. 4.

Propositio 9.

33 Quoties aliquod quantum cuiusuis generis in se est infinitum; & quoad multitudinem quarumuis suarum partium aliquotarum in se finitarum necessariò infinitum est.

Est clarum. Quia, si quantum aliquod in se infinitum ex partibus aliquotis in se finitis, quoad multitudinemque etiam finitis componeretur; & esset infinitum, quia id supponitur; & non esset infinitum iuxta proposit. 4. Quod est contradictio.

Propositio 10.

34 Quoties aliquod quantum cuiusuis generis quoad multitudinem quarumuis suarum partium aliquotarum in se finitarum infinitum est; & in se quoque siue in suo genere infinitum est.

Quia, si esset finitum, iam aliquod quantum finitum ex multitudine infinitâ partium aliquotarum in se finitarum esset compositum contra proposit. 5.

Propositio 11.

35 Quantum infinitum omni finito eiusdem generis necessariò est maius, atque adeò neque æquale illi, nec minus illo potest esse.

Est euidens ex terminis. Quia quantum infinitum, præter partem finitam cuiuis alteri quanto eiusdem generis æqualem, alteram partem infinitam debet necessariò includere in se iuxta proposit. 8. Quæ tota subinde excessus erit, quo quantum infinitum excedit finitum. Dico autem quanta eiusdem generis ea, quæ de suo sunt æqualia, vel inæqualia iuxta doctrinam statutam supra disp. 10. q. 2. diuis. 18.

36 Ex hac propositione infertur primò, quoties duo quanta sunt æqualia, & alterum est infinitum, non posse non & alterum quoque esse infinitum.

37 Secundò infertur, totum finitum nullatenus posse esse compositum ex aliquâ parte infinitâ. Cum totum debeat esse maius suâ parte iuxta dicta disp. 10. q. 3. proposit. 3. Tum quia & esset finitum, vt supponitur; & infinitum iuxta proposit. 6. contra proposit. 2.

38 Tertiò infertur, quantum infinitum necessariò excedere finitum excessu infinito.

39 Quartò infertur, quoties quantum infinitum excedit alterum quantum excessu finito, non posse non & hoc alterum esse infinitum.

Propositio 12.

40 Necessarium omnino est, vt duo quælibet infinita multitudinis comparata interse aut sint æqualia, aut inæqualia in ratione multitudinis.

Hæc propositio sub vniuersaliore est demonstrata, me quidem iudice, euidenter supra disp. 10. q. 3. proposit. 14. Neque alia modò eget demonstratione. Tametsi refragari illi videantur Scotus, Mayron, Gregorius, Lichetus, Bassolis, Richardus, Conimbric. lib. 3. Physic. cap. 8. q. 4. Vazq. 1. p. disp. 26. num. 8. & 20. Pet. Hurt. disp. 13. Phys. sect. 1. & Lynceeos referens, & sequens lib. 3. Physic. tract. 3. num. 22. quatenus asserunt, esse æquale, vel inæquale, maius, vel minus dumtaxat esse proprietates quantitatis finitæ, secus verò infinitæ. Inquo profectò non sunt audiendi. Oppositumque censent plerique alij.

Propositio 13.

Duo etiam quælibet infinita extensionis eiusdem generis comparata interse necessariò debent esse æqualia, vel inæqualia non solùm in ratione multitudinum partium quarumuis suarum aliquotarum (prout debent iuxta proposit. 12.) sed etiam in ratione extensionum. 41

Hæc etiam propositio est demonstrata supra disp. 10. q. 3. proposit. 16. Vnde eius demonstratio petenda est.

Propositio 14.

Nullum infinitum sumptum formaliter, prout infinitum est, potest esse maius, vel minus alio; aut aliquod subire accrementum, vel decrementum. Benè tamen materialiter sumptum, prout est quædam multitudo, aut etiam quædam extensio. 42

Explico, & simul demonstro propositionem. Quia, vt infinitum extensionis formaliter vt infinitum subiret accrementum, series, in qua illud consistit, deberet, quo latere infinita est, & carens parte extremâ, vltra se totam recipere tale accrementum, per illudque vlterius extendi. Hoc autem manifestè repugnat: quia ab eo latere non datur vltra, neque vlteriùs, neque vlla capacitas accrementi: alioquin pars, cui accrementum iungeretur, extrema seriei esset ab eo latere contra suppositionem. Quòd autem neque decrementum possit pati ab eo latere talis series remanens infinita, æquè est manifestum: quia pars, à qua disiungeretur id, per cuius ablationem decresceret, remaneret extrema, ipsamque seriem finiens etiam contra suppositionem. Ob eamdem rationem nequit vnum infinitum extensionis formaliter vt tale esse maius alio: quia vnde inciperet excessus seriei constituentis primum, necessariò terminaretur series constituens secundum; proindeque infinita non esset contra suppositionem; vt cernere est in duabus lineis paralellis infinitis versùs Orientem. Si enim ab eo latere prima esset maior, seu magis extensa, quàm secunda, aliqua pars necessariò esset in primâ, à qua inciperet talis excessus; talis autem pars non posset non esse extrema; atque adeò terminans, & finiens versùs Orientem totum residuum ipsius lineæ extensum versùs Occidentem. Cùmque secunda linea vsque ad eam dumtaxat partem esset æqualis primæ versùs Orientem; quia supponitur excedi ab illâ quoad totum reliquum; non posset non secunda linea esse finita versùs Orientem, vtpote versùs Orientem æqualis finitæ. Et tamen supponebatur esse infinita. Quod implicat contradictionem.

43 Iam verò, vt infinitum multitudinis formaliter vt infinitum subiret accrementum, tale accrementum deberet esse numerabile post transactam integram numerationem successiuam totius multitudinis infinitæ. Hoc autem contradictionem implicat. Quia eo ipso, quòd esset numerabile tale accrementum post transactam totam successiuam numerationem dictæ multitudinis, tota ipsa numeratio successiua pertransibilis esset: ipsaq; proinde multitudo non esset infinita; vt supponitur. Siquidem multitudo infinita per successiuam numerationem neutiquam pertransibilis est iuxta definitionem statutam q. 1. Pariter venit ostendendum, infinitum multitudinis formaliter vt tale pati decrementum non posse permanens infinitum. Quia tale decrementum deberet incipere ab aliquo gradu successiuæ numerationis eius possibilis. Quo fieret, vt talis gradus extremus esset talis numerationis, ipsaque subinde numeratio finita esset. Quod prorsus repugnat; cùm numeratio successiua possibilis multitudinis infinitæ necessariò debeat esse infinita; vt constat ex dictis. Eâdemque de causâ prorsus repugnat, vt vnum infinitum multitudinis formaliter qua tale sit maius altero. Quia adhoc opus esset, vt numerationes successiuæ possibiles amborum vsque ad aliquem gradum primæ, à quo inciperet eius excessus, essent æquales. Cùmque residuum ipsius primæ à tali gradu versus principium necessariò esset finitum, vtpote clausum duobus terminis, iuxta proposit. 18. & tota secunda numeratio tali residuo æqualis finita esset. Quod est implicatorium. Cùm numeratio successiua possibilis multitudinis infinitæ neutiquam possit esse finita; vt constat ex dictis. Et hactenus de primâ parte propositionis.

44 Quod autem vnum infinitum materialiter sumptum suscipere accrementum possit, aut decrementum pati, maiusque, aut minus alio esse, quæ erat pars secunda propositionis, imprimis constat ex doctrinâ proposit. 12. & 13. Deinde quasi ad oculum euidenter ostenditur. Quia, si alicui infinito multitudinis iungantur aliquot vnitates, vt est manifestè possibile, & subibit illud talium vnitatum accrementum, & euadet maius infinitum illo, quod antea erat, vtpote excedens illud quoad tale accrementum. Si verò ab aliquo infinito multitudinis detrahantur aliquot vnitates, vt planè etiam fieri potest, & patietur illud decrementum talium vnitatum, & euadet infinitum minus illo, quod antea erat, vtpote superatum ab ipso quoad tales vnitates. Similiter, si lineæ infinitæ versùs Orientem, & incipienti hinc iungantur ab hoc extremo versùs Occidentem aliquot vlnæ, & accipiet earum accrementum, & euadet finitum extensionis maius eo, quod antea erat. Quòd si lineæ propositæ detrahantur à dicto extremo aliquot vlnæ, & minuetur quoad illas, & euadet infinitum extensionis minus illo, quod erat antea. Vel aliter. Sit quantum quoad latitudinem, & grossiciem pedale, infinitum verò quoad longitudinem, addaturque, & vniatur illi ad latus aliud per omnia æquale certè resultabit quantum infinitum absolutè duplum priore. Oppositumque eueniet, si quanti propositi latitudo, grossiciesque findatur, à totoque illo detrahatur dimidium eius; vt est notissimum. Tantumdemque de cæteris infinitis tum multitudinis, tum extensionis venit dicendum.

Propositio 15.

Necessarium omnino est, vt omnis multitudo infinita vel sit par, vel impar. 45

Hæc propositio superùs disp. 10. q. 3. proposit. 17. sub doctrinâ vniuersaliore est demonstrata. Indeque proinde petenda est demonstratio eius.

Ex qua necessariò consequitur, vt omnis multitudo infinita aut possit diuidi bisariam, aut prope bisariam. 46

Propositio 16.

Quoties quantum infinitum diuiditur bisariam, ambæ partes, in quas diuiditur necessariò sunt infinitæ. Et idem est, si diuidatur prope bisariam; quia non potest bisariam diuidi. 47

Ratio demonstrans primam partem propositionis est. Quia, si ambæ dictæ partes essent finitæ, quantum diuisum contra suppositionem finitum esset iuxta proposit. 3. Si autem altera pars infinita & altera finita esset; cùm supponantur æquales, daretur quantum infinitum æquale finitò contra proposit. 11. Secunda autem pars propositionis supponit ex proposit. 15. omne infinitum multitudinis (ad quod cætera possunt reduci iuxta dicta q. 1.) aut esse par, sicque bisariam diuisibile; aut esse impar, sicque diuisibile prope bisariam in duas scilicet partes, quarum altera alteram vnitate tantùm excedat. Quas ambas partes debere itidem esse infinitas constat similiter: quia nequeunt ambæ esse finitæ, ne totum diuisum sit finitum; neque potest esse infinita, quæ minor est, & altera finita ex proposit. 11. neque potest vice versà maior esse infinita, & minor finita ex eâdem proposit. 11. vtpote quia maior minorem excedit excessu finito, nempe vnitate.

Ex hac propositione infertur, omne infinitum infinities diuisibile esse in partes, quarum quælibet in se sit infinita; & consequenter necessariò compositum esse ex infinitâ multitudine partium, quarum quælibet in se sit infinita. Quia omne infinitum in duo dimidia, aut prope dimidia infinita diuidi potest iuxta dicta. Quoduisque eorum ob eamdem rationem in alia duo etiam infinita. Et horum rursus quoduis in alia duo. Et ita deinceps sine fine. Ex quo patet, impossibile esse aliquod infinitum, quod sit omnium minimum aut absolutè, aut intra quoduis genus. 48

Vnde rursus infertur, quoduis infinitum ex infinities infinitâ multitudine infinitorum compositum necessariò esse: rursusque ex infinities infinities infinitâ multitudine: & ita deinceps, repetendo sine fine aduerbium *infinities*: quod est mirabile. Quia quoduis infinitum primò constat ex infinitâ multitudine infinitorum, vt ostensum est: horumque quoduis rursus ob eamdem rationem ex infinita multitudine infinitorum minorum constare debet: & horum quoduis iterum ex infinitâ minorum; & sic deinceps sine fine. Quod est, illud primum ex infinities infinities infinitâ multitudine infinitorum constare: & sic deinceps re- 49

pe-

petendo sine fine aduerbium *infinities*.

50 Denique ex his infertur, possibile, siue excogitabile esse infinitum altero infinities maius. Tale enim erit illud, cuius infinita multitudo infinitorum, siue partium in se infinitarum æqualis fuerit infinitæ multitudini vnitatum alterius; vt citra dubium esse potest iuxta dicta proposit. 12. & 13.

51 Sed est solerter aduertendum, partes in se infinitas, ex quarum infinities infinitâ multitudine quoduis infinitum componitur iuxta dicta, inæquales esse, proportionalesque proportione descendente à maiore versùs minorem inæqualitatem. Hoc enim solùm ex præsente propositione concluditur. Vtrùm autem quoduis infinitum, aut aliquod partes etiam aliquotas, siue interse æquales, partesque inæquales proportionales proportione ascendente à minore versùs maiorem inæqualitatem in se contineat tum in se infinitas, tum infinitas, aut infinities infinitas quoad multitudinem, infra propos. 29. & 30. determinandum est.

Propositio 17.

52 Quæuis multitudo infinita vnitatum infinities continet in se quemlibet numerum vnitatum possibilem; seu, quod in idem recidit, ex infinitâ multitudine quorumlibet numerorum possibilium composita est.

Quia, si esset composita ex multitudine quorumlibet numerorum finitâ, cùm omnis numerus sit in se finitus, vt supponimus, (multitudo quippe finita dicitur numerus) ex multitudine finitâ partium in se finitarum esset composita, atque ita iuxta proposit. 4. non esset multitudo infinita, sed finita contra suppositionem. Et confirmari potest. Quia in quauis multitudine infinitâ vnitatum aliqua continentur milliaria vnitatum. Sed non finita: quia & vnitates essent finitæ contra suppositionem. Ergo infinita. Idemque est de quibusuis alijs numeris; vt constat.

53 Ex hac propositione infertur primò contra Fasolum 1. p. q. 7. art 3. & 4. dub. 6. n 1. Mayronemque, & Bacchonem ab eo relatos, impossibilem prorsus esse multitudinem vnitatum, in qua non sint infiniti binarij, infiniti ternarij, tum quaternarij, quinarij, &c. Multitudo tamen numerorum contenta in multitudine vnitatum, tametsi infinita, minor multitudo erit semper ipsâ multitudine vnitatum; eòque minor, quò numeri assumpti fuerint maiores. Multitudo enim binariorum contenta in multitudine vnitatum duplo minor est ipsâ multitudine vnitatum; & multitudo denariorum decuplo minor: & sic de reliquis.

54 Secundò infertur, in quauis multitudine infinitâ vnitatum non solùm contineri multitudinem infinitam quorumuis numerorum æqualium, vt milliariorum, millionum, &c. sed etiam multitudinem infinitam quorumuis numerorum inæqualium in qualibet proportione sese excedentium aut arithmeticâ, aut geometricâ iuxta dicta de his supra disp. 12. q. 2.

55 Tertiò infertur, in quauis multitudine infinitâ vnitatum infinities infinitam multitudinem quorumuis numerorum contineri; rursusque infinities infinities infinitam; & ita deinceps repetendo sine fine aduerbium *infinities*. Quia in quauis multitudine infinitâ vnitatum infinities infinitæ multitudines vnitatum, quarum singulæ in se sunt infinitæ, continentur; rursusque infinities infinities infinitæ, repetendo sine fine dictum aduerbium, iuxta proposit, 16. At in singulis hisce infinitis multitudinibus vnitatum infinita multitudo quorumuis numerorum continetur iuxta præsentem proposit. Ergo, &c.

Quartò infertur, infinitum millionum, aut quorumuis aliorum numerorum quantumuis magnorum minus posse esse alio infinito vnitatum. Est clarum. Quia si sint duo infinita vnitatum, quorum primum sit maius secundo iuxta proposit. 12. infinitum primum vnitatum maius erit infinito millionum, aut quorumuis aliorum numerorum contento in secundo iuxta præsentem proposit. 56

Propositio 18.

Impossibile omnino est, vt quantum extensionis vtrinque terminatum, siue habens ab vtroque latere extremum sit infinitum. 57

Hæc propositio de mente omnium videbatur esse, imo ex ipsis terminis satis nota, donec ita ab aliquibus cœpit in dubium verti, vt oppositum affirmare non dubitauerit Arriaga disp. 13. Phys. sect. 1. Cui etiam consentit Carlet. disp. 46. Phys sect. 8. n. 6. Itaque asserunt, possibilem esse lineam vtrinque terminatam, & nihilominùs impertransibilem successiuè, atque adeò infinitam; & consequenter, possibile esse triangulum, cuius tria latera sint infinita; aliaque quanta huiusmodi. Verùm, quàm falsa sit doctrina hæc, & nostra propositio vera, præterquàm quòd ex ipsis terminis videtur satis euidens; quia satis euidens ex se videtur, non posse esse impertransibilem successiuè extensionem terminatam, qua talem; facile demonstrari potest.

Primò in triangulo infinitorum laterum. Sit enim illud ABC. Ducanturque, siue ductæ considerentur, vt reuerà esse possunt, tali triangulo supposito, omnes lineæ transuersæ possibiles ab angulo B vsque ad basim AC incipiendo ab eâ, quæ vnius dumtaxat palmi est, & descendendo vsque ad basim AC inclusiuè per seriem linearum productarum, quarum vnaquæque vnico omnino palmo excedat præcedentem. Tum sic. Omnes prædictæ lineæ sunt finitæ: quia descendendo à primâ vnius palmi ipsi angulo B immediatâ ipsa prima est finita, vt constat; tum secunda eam excedens vno dumtaxat palmo; tum tertia, & cæteræ omnes, quarum vnaquæque vno similiter palmo dumtaxat excedit præcedentem. Siquidem quoduis quantum excedens excessu finito alterum quantum finitum necessariò est finitum iuxta proposit. 3. Aliunde verò eædem omnes lineæ sunt infinitæ: quia ascendendo à basi AC ipsa est infinita, vt ponitur; & vnaquæque cæterarum à præcedente vno dumtaxat palmo exceditur. Repugnatque, non esse infinitum quantum, quod ab altero infinito exceditur excessu finito iuxta proposit. 11. Eædem igitur lineæ sunt simul finitæ, & infinitæ. Quod est impossibile iuxta proposit. 2. Nec dici potest, aliquot eiusmodi linearum, quæ ad basim vergunt, esse infinitas, & aliquot, quæ ad angu- 58



lum

lum vergunt oppositum finitas esse. Quia, cùm multitudo priorum, & multitudo posteriorum per duas lineas extremas sui debeant intra triangulum ipsum esse continuatæ, siue contiguæ, vt est manifestum; fieret, vt ex duabus dictis lineis extremis altera infinita, & altera finita esset: cùm tamen illa vnico dumtaxat palmo hanc exeederet. Quod est absurdum contra eamdem proposit. 11.

59 Recentiores quidam hoc argumento convicti triangulum ex lateribus infinitis constantem impossibilem reputarunt. Concedebant tamen possibilem (ne omnino desererent Arrigam) lineam vtrinque terminatam, & nihilominùs infinitam. Contra quos in publicis disputationibus oppositum demonstraui, supponens, esse lineam A B, & ita arguens. Vel quælibet

A B

omnino vlnarum, ex quibus constat dicta linea, præter extremam A relinquit post se versùs ipsam extremam A quantitatem finitam; vel quælibet relinquit quantitatem infinitam; vel sunt aliquæ relinquentes quantitatem finitam, & aliquæ relinquentes infinitam. Alius quippe casus excogitabilis non est, vt constat. Si dicatur primum. Vlna extrema B relinquet quantitatem finitam versùs extremam A. Atque ita tota linea erit finita contra suppositionem. Siquidem ex quantitate finita relicta versùs A, & ex vlna B etiam finità nequit non resultare totum finitum iuxta proposit. 3. Si autem dicatur secundum. Vlna immediata extremæ A relinquet quantitatem infinitam: cùm tamen solam ipsam vlnam A relinquat, quæ finita est. Quod est contradictio contra proposit. 2. Si denique dicatur tertium. Rursus inquiro. Aut aggregatum vlnarum relinquentium versus A quantitatem infinitam, & aggregatum vlnarum relinquentium finitam (ex quibus ambobus reuerà composita est ipsa linea, vt constat) in ipsiusmet compositione adæquatè se excludunt; ita quòd ab vno latere lineæ integrè sit vnum illorum aggregatorum, & ab altero alterum, per duasque sui vlnas extremas continuentur in medio. Aut non se excludunt adæquatè, sed mixtè, & interpolatè componunt lineam ipsam. Hi namque duo casus dumtaxat sunt excogitabiles, quod ad rem attinet; vt est manifestum. Si primum. Ex duabus vlnis contiguis, siue immediatis, quæ sunt extremæ dictorum aggregatorum; altera versus extremam A relinquet quantitatem finitam, & altera infinitam: cùm tamen quantitates ab vtraque versùs extremam A relictæ vnicà tantùm vlnà se excedant. Quod est absurdum contra proposit. 11. Si secundum. Ergo erit vlna relinquens versus A quantitatem finitam, & vlna ipsi A propinquior relinquens infinitam. Indeque fiet, vt detur totum finitum, cuius pars infinita sit. Quod est absurdum contra proposit. 11. Manet igitur demonstratum, prorsus esse impossibile, quòd linea vtrinque terminata infinita sit. Pariterque venit demonstrandum, impossibile esse vniuersè, vt aliquod quantum extensum, & vtrinque terminatum sit infinitum.

60 Deinde monstratur propositio in seriebus successiuis, & nunquam finiendis tum partium temporis, tum durationum, aut etiam cogitationum futurarum Beatorum. Quarum serierum nullum segmentum esse possibile, quod duobus terminis claudatur, & nihilominùs sit infinitum, manifestum est. Quia, cùm nulla sit pars eiusmodi serierum, quæ non sit futura, & consequenter, quæ seorsim considerata non sit transitura de facto, prout dicebamus disp. 10. q. 3. proposit. 20; ampliusque inferiùs exponemus, quæcunque dicatur esse extrema cuiusuis excogitabilis segmenti, de facto transitura erit; atque adeò & totum segmentum successiuè erit transiturum de facto. Quo longè abest, vt impertransibile successiuè, atque ita infinitum sit. Repugnat igitur segmentum cuiuslibet dictarum serierum, quòd, cùm claudatur extremis, infinitum sit. Et quidem, si tale segmentum terminatum, & nihilominùs infinitum, seu successiuè impertransibile possibile esset, eo ipso esset æternum, & nunquam finiendum. Nullaque proinde ratio esset ad asserendum (vti citra omne dubium, & consentaneè ad fidei dogmata asserendum est) æternitatem, & series omnes durationum, seu rerum aliarum æternitate ipsà commensuratas vltra omnem terminum excogitabilem in infinitum absque vllo prorsus limite extendi temporali extensione. Quòd si nulla series extensa temporaliter infinita esse potest, si duobus extremis terminata, seu clausa sit. Neque vlla series aut localiter, aut aliter quoquo modo extensa infinita esse poterit, si duobus extremis similiter terminata, seu clausa sit. Tum quia nulla idonea potest reddi disparitas. Tum quia cuiuis omnino seriei clausæ terminis extensæ quomodolibet æqualis series quoad graduum multitudinem clausa etiam terminis, & temporaliter extensa citra omne dubium dari potest. Repugnat autem manifestè, ex duabus seriebus æqualibus quoad graduum multitudinem terminis clausis alteram infinitam, & alteram finitam esse iuxta dicta proposit. 11.

61 Obijcitur tamen contra propositionem nostram pro sententià Arriagæ primò. Inter hominem, & lapidem dantur infinitæ species possibiles rerum inæquales quoad perfectionem, atque adeò subordinatæ secundùm prius, & posterius in serie dignitatis, quæ subinde series non potest non esse infinita quoad suam extensionem, & tamen vtrinque est terminata, speciebus scilicet hominis, & lapidis. Igitur quantitas extensa terminis clausa, & nihilominùs infinita possibilis est. Nego antecedens. Quia nulla series clausa extremis potest esse infinita iuxta dicta. Atque ita, licèt demus inter hominem, & lapidem esse possibiles infinitas species rerum, quarum aliæ sint æquales, & aliæ inæquales quoad perfectionem, de quo infra; infinitudo tamen ista penes æquales nullam constituentes seriem erit potissimùm; nam inæquales seriem prioris, & posterioris quoad perfectionem dictis duobus terminis clausam constituentes semper erunt finitæ. De quo plura dicemus infra q. 9.

62 Secundò obijcitur. Si sit linea versùs Orientem interminata, & infinita, incipiens tamen hinc; atque adeò terminata versùs Occidentem, potest à Deo bifariam diuidi per aliquod punctum sui, à quo versus Occidentem dimidium talis lineæ sit, & alterum dimidium versùs Orientem. At dimidium ex tali diuisione relictum versùs Occidentem duobus extremis erit clausum, vt constat; & nihilominus infinitum: tum quia dimidium infiniti; quod finitum esse non potest: tum quia æquale alteri dimidio vergenti in Orientem, quod infinitum est citra dubium. Ergo &c. Respondeo, nullum in propositâ lineâ fore punctum, per quod possit ea modo dicto bifariam diuidi; quia quæuis omnino pars talis lineæ à quouis omnino

pun-

puncto eius vergens versùs Occidentem semper est finita iuxta dicenda proposit.19. Quomodò autem prædicta linea aliter possit à Deo bifariam diuidi, & quando, ex dicendis proposit. 28. innotescet.

63 Tertiò obijcitur. Progressio partium proportionalium proportione maioris inæqualitatis coutinui iuxta sententiam communem componentem illud ex partibus sine fine diuisibilibus infinita est; & tamen clausa duobus terminis. Ergo & progressio quæuis etiam partium aliquotarum poterit infinita esse; etsi duobus terminis clausa sit. Respondeo primò, progressionem partium proportionalium iuxta eam sententiam non esse clausam duobus terminis intrinsecis; quia, quo latere infinita est, nullam partem proportionalem extremam, siue vltimam habet. Vnde non mirum, quòd ab eo latere ponatur infinita in suo genere, vtpote ex infinitis partibus proportionalibus citra vllam, quæ sit vltima, constans. Tametsi ab eodem latere terminum extrinsecum habeat, vltra quem extendi non possit. At progressio quæuis partium aliquotarum terminis clausa necessariò debet habere ab vtroque latere aliquam extremam partem aliquotam æqualem cæteris, quæ sit ipsius intrinsecus terminus, & ita ab Aduersarijs supponitur. Hoc autem stare non potest cum eo, quòd partes aliquotæ intra duas extremas positæ sint infinitæ; & consequenter neque cum eo, quòd sit infinita ipsa progressio; vt constat ex superius dictis. Respondeo secundò, etiam progressionem partium proportionalium categorematicè infinitam, & termino extrinseco clausam apud me impossibilem esse, vt constat ex doctrinà, quam dedi supra disp. 10. q. 4. Quocirca liberior adhuc ab obiectione factà maneo.

64 Quartò obijcitur. Qualitas infinitè intensa diuidi à Deo bifariam potest in duo dimidia infinita, quæ tamen terminata manebunt gradu supremo, & infimo. Ergo, &c. Respondeo, si gradus intensionis qualitatis sint subordinati quoad perfectionem, vt aliqui opinantur, non posse esse qualitatem infinitè intensam, & habere gradum supremum; sed, incipiendo ab infimo, inde debere progressionem proportione minoris inæqualitatis ascendere absque vllo prorsus termino. Quo fiet, vt series dignitatis resultet ab vno latere interminata, & infinita, & ab altero terminata, & finita; atque adeò non diuisibilis bifariam per aliquem mediorum graduum, vti dictum est de lineà infinità versùs Orientem, & finità versùs Occidentem n.62. Tametsi aliter, sicut & cæteræ eiusmodi series, bifariam posset diuidi iuxta dicenda proposit.28. De quibus insuper plura dicenda sunt infra q.9. Quòd si verò gradus intensionis qualitatis non sunt subordinati quoad perfectionem, vti alij opinantur, in qualitate infinitè intensà infinitum quoddam multitudinis constituent absque vllo ordine seriali partium, siue vnitatum, atque adeò absque extremis; taliaque erunt etiam duo infinita, quæ resultabunt ex illo bifariam diuiso. Per quæ tum argumentum oppositum dilutum manet; tum cætera, quæ opponi possunt, ab vno quoque facile diluentur. Per ea namque planè constat, nullum quantum extensionis esse possibile prout à quanto meræ multitudinis condistinctum, quod sit & terminis clausum, & infinitum.

65 Vnde vniuersaliter infertur, vltra totum quantum extensionis, quo latere infinitum est, nullam omnino capacitatem superesse vlterioris extensionis, additamenti ve eius. Quoniam ibi necessariò terminaretur extensio quanti, vnde tale additamentum posset incipere. Atque ita ea iuxta præsentem propositionem à tali latere finita esset: cùm tamen supponatur esse infinita. Quæ duo cohærere non possunt iuxta proposit. 2. Itaque si detur linea infinita versùs Orientem, totum omnino spatium locale lineale, cui correspondet, debet necessariò replere; quin supersit versùs Orientem quidpiam illius. Pariterque est philosophandum de cæteris quantis extensionis infinitis consentaneè ad vniuscuiusque naturam.

Propositio 19.

Quoties quantum quoduis extensionis 66
ab vno latere terminatum, siue finitum, & ab altero interminatum, siue infinitum est, nullus est gradus in tota serie, in qua consistit, à quo versùs latus finitum sit portio talis quanti infinita. Sed necessariò portio contenta inter primum, siue extremum gradum eius lateris, & quemlibet omnino aliorum totius seriei necessariò est finita.

Quia necessariò talis portio duobus extremis est clausa, primo videlicet, & altero. Repugnatque, extensionem quamlibet clausam duobus extremis esse infinitam iuxta proposit.18.

Itaque si detur linea infinita versùs Orien- 67
tem, incipiens tamen hinc, atque adeò versùs Occidentem terminata hoc puncto, nulla eius portio erit inclusa inter hoc punctum, & quoduis aliud totius lineæ, quæ non sit necessariò finita. Quemadmodùm etiam portio temporis inclusa inter instans præsens, & quoduis omnino aliud aut ex præteritis, aut ex futuris instantibus necessariò est finita. Similiter in serie infinità numerorum proportionalium incipiente à binario, & in quauis omnino proportione siue arithmeticà, siue geometricà sine fine ascendente nullus est numerus, à quo versùs binarium non sit finita portio talis seriei: atque adeò etiam numerorum finita multitudo. Portio siquidem seriei finita ex infinita multitudine graduum (ex quibus tanquam ex partibus aliquotis in se finitis quoad talem extensionem componitur) constare non potest iuxta proposit. 5. Tantumdemque est de quibusuis alijs seriebus aut originis, aut connexionis, aut dignitatis, &c. ab vno latere terminatis, & ab alio infinitis.

Ex hac propositione infertur primò, in omni se- 68
rie ab vno latere finità, & ab altero infinità nullum omnino gradum esse, à quo versùs latus infinitum non supersit semper portio infinita talis seriei. Quia, cùm ab omni gradu versùs latus finitum necessariò relinquatur portio finita iuxta præsentem proposit. si ab aliquo gradu versùs alterum latus superesset portio finita; ex duabus portionibus, siue partibus finitis esset tota series composita. Atque adeò contra suppositionem vndequaque finita esset iuxta proposit.3.

Secundò infertur, nullam seriem ab vno late- 69
re finitam, & ab altero infinitam posse per aliquem sui gradum bifariam, siue in duas partes æquales diuidi. Quia portio à tali quouis gradu versùs latus finitum relicta finita esset, residua autem versùs alterum latus extensa esset infinita iuxta consect. præced. Finitum autem infinito æquale esse nequit, iuxta proposit. 11.

70 Tertiò infertur, ſi ſint duæ ſeries eiuſdem generis ab vno latere infinitæ, & ab altero finitæ inæquales interſe iuxta dicta propoſit. 13. exceſſum, quo vna excedit alteram neceſſariò debere eſſe finitum. Quia, cùm non poſſint ſe excedere à latere infinito iuxta propoſit. 14. ſupereſt vt ſe excedant à latere finito: & omnis exceſſus excogitabilis vnius ſupra alteram à latere finito neceſſariò debet eſſe clauſus terminis, atque adeò finitas iuxta præſentem propoſit; vt conſtat.

71 Vnde ſequitur quartò, ſi ſeries ab vtroque latere infinita per quemlibet omnino gradum ſui diuidatur in duas, imprimis has neceſſariò debere eſſe infinitas ab vno latere, & finitas ab altero, vt patet ex ſe, & ex dictis. Deinde neceſſariò debere eſſe eas aut æquales, aut inæquales iuxta propoſit. 13. Erunt autem æquales ſi gradus, per quem eſt facta diuiſio, ſit centrum, aut quaſi centrum integræ ſeriei iuxta dicenda propoſit. 27. Inæquales autem erunt, ſi gradus ſit quilibet alius. Quicunque autem ille ſit, neceſſariò præterea ſequitur, exceſſum maioris ſupra minorem non poſſe non eſſe finitum iuxta præcedens conſectarium.

Propoſitio 20.

72 Multitudo omnium numerorum poſſibilium interſe diuerſorum neceſſariò infinita eſt. Ea autem tota neceſſariò eſt contenta in quauis omnino multitudine infinitâ vnitatum.

Prior pars propoſitionis oſtenditur. Quia nullus eſt numerus poſſibilis diuerſus à cæteris, qui non contineatur in progreſſione arithmeticâ (quam dicunt naturalem) incipiente ab vnitate, & ſemper per additionem ſolius vnitatis aſcendente. Vt 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12. &c. Nullus quippe eſt excogitabilis numerus, ad quem tandem perueniri non poſſit per talem progreſſionem, vt eſt notiſſimum; & qui propterea non ſit pars, gradus ve illius contentus in ipsâ. Aſt huiuſcemodi progreſſio, ſiue ſeries in ſuâ poſſibilitate, ſeu quiditate infinita eſt; eo quòd nullus eſt numerus excogitabilis in illâ, vltra quem non ſit alius maior excedens ipſum in vnitate. Igitur multitudo omnium numerorum interſe diuerſorum, qui in idem recidunt iuxta dicta cum omnibus gradibus huius ſeriei, neceſſario infinita eſt. Siquidem ſeries infinita non poteſt non ex infinitis gradibus (qui loco ipſi ſunt partium aliquotarum in ſe finitarum) conſtare iuxta propoſit. 9.

73 Iam poſterior propoſitionis pars ex dictis propoſit. 17. conſtat. Siquidem multitudo omnium numerorum poſſibilium interſe diuerſorum multitudo infinita eſt quorumdam numerorum inæqualium, & in proportione arithmeticâ naturali ſeſe excedentium. Ibi autem ſtatutum eſt, quorumuis numerorum inæqualium in qualibet proportione ſe excedentium multitudinem infinitam in quauis multitudine infinitâ vnitatum contentam eſſe. Sed demonſtremus inſuper illam ſpeciatim. Quoniam in quauis multitudine infinitâ vnitatum vel continetur integra ſeries prædicta numerorum incipiendo ab vnitate, ſiue à binario, & aſcendendendo per additionem vnitatis abſque vllo fine. Vel continetur aliqua dumtaxat portio talis ſeriei, quæ incipiendo ab vnitate, ſiue à binario in aliquo alio numero, ſiue gradu eiuſdem ſeriei terminetur. Si primum. Habetur intentum. Secundum autem eſt impoſſibile. Quia talis ſeriei portio neceſſariò debet eſſe finita, atque adeò ex multitudine numerorum finita conſtans iuxta propoſit. 18. Si autem ſola illa contineretur in multitudine infinitâ vnitatum, fieret contra propoſit. 2. vt multitudo infinita vnitatum eſſet finita: quia ex multitudine partium in ſe finitarum compoſita iuxta propoſit. 4.

74 Confirmatur, & declaratur primò. Quia euidens eſt, ex quauis multitudine infinitâ vnitatum poſſe à Deo extrahi, vel intra eam mente componi, ſiue diſcerni, ſiue cognoſci aliquam multitudinem numerorum, quorum primus ſit binarius, ſecundus ternarius, & ita deinceps continuè aſcendendo per vnitatem. Vel ergo hæc multitudo numerorum ita ſeriatim ſe excedentium eſt infinita, & iterum habetur intentum. Vel eſt finita, & aliquo numero terminata, & redit iterum abſurdum nuperrimè illatum. Ergo,

75 Confirmatur ſecundò. Quia vel multitudo infinita vnitatum per ſucceſſiuam acceptionem numerorum in proportione dictâ, & incipiendo ab vnitate, ſiue à binario eſt ſucceſſiuè pertranſibilis vel non. Si eſt. Planè ſequitur, non eſſe eam infinitam, ſed finitam contra ſuppoſitionem; quia multitudo ſucceſſiuè pertranſibilis per acceptionem quarumuis ipſius partium in ſe finitarum non poteſt non eſſe finita; cùm multitudo ſic pertranſibilis talium partium eo ipſo finita ſit. Si non. Ergo ſeries eiuſmodi numerorum incipiens ab vnitate, ſiue binario contenta in dictâ multitudine infinita eſt: quod intendimus: atque adeò omnes numeros poſſibile interſe diuerſos complectens; vtpote quorum nullus eſt non contentus in ipsâ iuxta dicta. Recognoſcantur inſuper quæ ad rem ſupra ſunt tacta diſp. 10. quæſt. 3. propoſit. 21.

76 Ex hac propoſitione infertur, in quauis multitudine infinitâ vnitatum non ſemel ſolùm, ſed infinities contineri infinitam ſeriem ſupradictam omnium numerorum poſſibilium interſe diuerſorum: imo infinities infinities, infinities, & ſic deinceps ſine fine repetendo iſtud aduerbium. Quia quæuis multitudo infinita vnitatum tot infinitis multitudinibus minoribus compoſita eſt iuxta dicta propoſit. 16. In quarum qualibet iuxta præſentem propoſitionem neceſſariò debet eſſe contenta ſeries infinita omnium numerorum poſſibilium; vt conſtat.

Propoſitio 21.

77 Vnum infinitum ita eſſe maius alio poteſt iuxta dicta propoſit. 12. 13. & 14. vt vel exceſſu finito, vel infinito illud excedat.

Si enim alteri duorum infinitorum æqualium addatur aliqua pars finita, iam illud excedet alterum exceſſu finito; infinito autem, ſi addatur illi pars infinita; vt ſi diuiſo vno eorum bifariam aut prope bifariam iuxta propoſit. 15. & 16. dimidium, aut prope dimidium diuiſi alteri addatur.

Propoſitio 22.

78 Omnis ſeries numerorum proportionaliter ſe excedentium quocunque genere proportionis in ſuâ poſſibilitate, ſeu quiditate neceſſariò eſt infinita à latere, versùs quod

aſcen-

ascenditur; finita autem ab altero, versùs quod descenditur.

Quia, vt constat ex dictis proposit. 20. nullus est excogitabilis numerus, quo maior alius non sit possibilis eo excessu, secundùm quem procedit series, siue progressio. Quod ipsum est, talem seriem in suâ possibilitate, seu quiditate infinitam esse à latere, versùs quod ascenditur. A latere autem altero, versùs quod descenditur, debere dari numerum, qui minimus sit talis proportionis, infra quem ampliùs iuxta illam descendi non possit, & consequenter sit extremus talis seriei, est manifestum. Quia numerorum possibilium, etsi nullus detur maximus, quia nullus est, quo maior alius non sit possibilis, vt dictum est; esse tamen aliquem, qui sit minimus absolutè, nempe binarium, (infra quem iam nullus alius numerus est possibilis, sed sola vnitas), compertum est ex se, & ex dictis disp. 10. q. 3. proposit. 21. Vnde compertum est itidem, respectiuè ad descensum numerorum secundùm vnamquamque proportionem eorum possibilem minimum omnium numerum dari debere.

79 Est quippe sermo in propositione de numeris integris, vt vocant. Numerorum enim fractorum non datur minimus: quia, qua ratione sunt diuisibiles, in infinitum sunt diuisibiles; necesseque est, vt quantitatis in infinitum diuisibilis minima quantitas non detur, vt etiam est notum. Siquidem quantitatis in infinitum diuisibilis nulla pars est, qua minor alia non sit possibilis; quia nulla pars est, quæ non contineat in se alias minores, in quas diuisibilis est. Porro numeri fracti siue minutiæ (vtrouis namque nomine nuncupantur) non physicè, sed mathematicè sunt diuisibiles in infinitum, hoc est, per nostram rationem dumtaxat, prout loco nuper citato expositum, & statutum est.

80 Supponit autem propositio, excessum, siue additamentum, quo numeri proportionales quamlibet seriem componentes secundùm quodlibet proportionis genus se excedunt, necessariò debere semper esse finitum: quia per excessum, siue additamentum infinitum iam quiuis numerus à ratione numeri extraheretur, ad multitudinemque infinitam transiret. Quo numerorum proportionalium progressio aut rumperetur, aut cessaret, vt est notissimum. Siquidem inter excessum finitum, & infinitum nullatenus potest esse proportio reperta inter excessus finitos, vt est manifestum. Vnde rursus planè consequitur, in quauis serie numerorum proportionalium, quantumuis sit infinita à latere, versùs quod ascendit, nullatenus posse dari numerum vllum in se infinitum; (transiretur namque contra dicta proportionaliter à numeris finitis ad infinitum): sed omnes in se necessariò finiti esse debent; maiores tamen semper, & maiores in infinitum à dicto latere ascendente; ita, quòd series ex multitudine infinitâ numerorum in se finitorum, & inæqualium composita sit: quin sit dabilis vllus numerus omnium possibilium supremus, siue vltimus, siue maximus.

81 Contra quod tamen sic potest obijci. Deus potest facere omnia, quę potest facere. Ergo potest facere omnia, quæ potest facere citra infinitam multitudinem. Ergo potest facere multitudinem continentem omnia citra infinitudinem possibilia. Quæ multitudo necessariò erit numerus vltimus, siue supremus possibiliũ. Respondeo, Deum quidem posse facere omnia, quæ potest facere qua ratione ea potest facere, siue qua ratione ea sunt possibilia. Atque ita, Deum posse facere distributiuè omnia, quæ distributiuè sunt possibilia citra infinitudinem. Sceus collectiuè, quæ collectiuè. Quia nulla est possibilis collectio finita continens omnia possibilia distributiuè citra infinitudinem. Est dicere, nulla est multitudo finita, seu numerus possibilis, quem Deus citra infinitudinem non possit facere seorsim, relictis semper alijs in se finitis, quoad multitudinem tamen infinitis non factis. Collectio verò omnium numerorum in se finitorum à Deo citra infinitudinem non potest fieri; quia infinita est. Ex quo patet primò, omnia, quæ distributiuè sunt possibilia citra infinitudinem, collectiuè citra infinitudinem possibilia non esse. Secundò, nullam esse possibilem collectionem finitam continentem omnia distributiuè possibilia citra infinitudinem. Tertiò, qui dicit omnia collectiuè possibilia citra infinitudinem, terminos iungere repugnantes. Quia sub terminum *omnia* collectiuè sumptum vel cadit collectio infinita, & ita repugnat eius significatum citra infinitudinem esse; vel cadit collectio finita, & ita repugnat eius significatum continere omnia possibilia citra infinitudinem: quia, præter quamlibet collectionem finitam, dantur aliæ, & aliæ maiores possibiles citra infinitudinem. Vt constat ex dictis. Vnde tandem concluditur neutiquam per sophisma factum probari, esse possibilem numerum supremum, siue vltimum, siue maximum omnium.

Propositio 23.

82 Omnis series quantorum extensionis in se finitorum, & proportionaliter se excedentium quocunque genere proportionis in suâ possibilitate, seu quiditate necessariò est infinita à latere, versùs quod ascenditur. A latere verò versùs quod descenditur, meâ quidem sententiâ non potest non esse finita, loquendo physicè.

Prior pars propositionis ostenditur. Quia in quauis eiusmodi serierum nullum est quantum extensionis in se finitum, quo maius aliud eiusdem generis dari non possit ipsum excedens eo proportionali excessu, secundùm quem series procedit. Hoc autem ipsum est, talem seriem in suâ possibilitate, seu quiditate esse infinitam à latere, versùs quod ascenditur. Pro exemplo sit series linearum ascendens in proportione subdupla, quarum prima linea sit vnius palmi, secunda duorum tertia quatuor, quinta octo, sexta decem & sex palmorum, & ita deinceps ascendendo absque vllo termino, seu fine.

83 Posterior pars propositionis sub opinione posita est. Nam qui censent, quantum continuum esse diuisibile physicè in infinitum; consequenter censent, progressionem quarumlibet partium proportionalium eius reipsà, & physicè posse sine fine descendere. Atque ita à lineâ propositâ palmari in proportione dupla posse in infinitum descendi, per lineas scilicet dimidij palmi, quartæ partis palmi, octauæ partis palmi, decimæ sextæ partis palmi, & sic deinceps sine fine. Tametsi addant, à latere, versùs quod descenditur, non posse non eiusmodi seriem termino extrinseco terminari. Quo fit, vt ab eo latere secundùm quid

tantùm sit infinita: cùm tamen sit finita simpliciter. Ego verò, qui censeo, quantum continuum ex puris indiuisibilibus debere necessariò esse compositum, in eàque subinde tandem resolubile physicè; consequenter assero, nullam seriem partium proportionalium eius à latere, versùs quod descenditur, posse vllo modo esse infinitam, loquendo physicè. Dico *loquendo physicè*. Quia, mathematicè loquendo, vt pono quantum continuum in infinitum diuisibile, scilicet per nostram rationem, ita etiam pono progressiones partium proportionalium eius à latere, versùs quod descenditur, in infinitum extendibiles, scilicet per nostram rationem. Quæ vtraque infinitudo nullatenus categorematica, sed merè syncategorematica est; prout latè ostensum, & explicatum est supra disp. 10. q. 4. Vnde probatio huius posterioris partis propositionis nostræ petenda est.

84 In priori autem parte supponitur vt certum, excessum, quo quanta extensionis proportionalia in se finita se excedunt, dum seriem infinitam à latere ascendente componunt, necessariò debere semper esse finitum. Quia ab excessibus finitis ad infinitum proportionaliter ascendi nequit, cùm nequeat inter finitum, & infinitum eadem reperiri proportio, quæ reperitur inter finita extrema; vt est notissimum, & iam notatum circa quanta multitudinis proposit. 22. Vnde sequitur necessariò inferendum, (prout ibi in simili), in serie prædictà quantorum proportionaliter se excedentium excessu finito, quantumuis ea sit infinita à latere ascendente, nullum omnino dari posse quantum in se infinitum; sed omnia in se necessariò debere esse finita; maiora tamen semper, & maiora in infinitum à dicto latere; ita, quòd series ex infinitâ multitudine quantorum in se finitorum, & inæqualium composita sit.

85 Itaque per dicta in hac, & in præcedenti propositione vniuersaliter manet statutum, nullam esse seriem quantorum in se finitorum, & proportionaliter se excedentium cuiuslibet omnino generis, quæ in suâ possibilitate, seu quiditate non sit infinita à latere, versùs quod ascenditur & finita à latere, versùs quod descenditur, reipsâ, & physicè loquendo, scilicet independenter à conceptione nostrâ.

86 Vnde postremò inferendum venit, nullam esse multitudinem infinitam partium reuerà, & physicè proportionalium, quæ non contineat multitudinem infinitam partium aliquotarum, & consequenter, quæ non constituat quantum simpliciter infinitum in genere suo, iuxta proposit. 10. Quia, cùm in serie qualibet infinitâ partium proportionalium, seu (quod in idem recidit) quantorum proportionalium in se finitorum nulla pars, nullum ve quantum sit, quod non habeat supra se à latere, versùs quod ascendit eiusmodi series, infinitas partes, seu infinita quanta maiora, atque adeò & infinita æqualia in ipsis maioribus inclusa, iuxta dicta; consequitur planè, in quauis serie infinitâ partium, quantorum ve proportionalium tot multitudines infinitas partium aliquotarum, siue quantorum singulis ipsis proportionalibus æqualium contentas excogitari posse, quot ipsæ partes, ipsa ve quanta proportionalia sunt. Quod est valde notandum. Ex quo etiam apparet, si multitudo infinita partium aliquotarum maior non sit multitudine partium proportionalium, quarum minima est æqualis singulis ipsis aliquotis, quantum coalescens ex talibus partibus proportionalibus necessariò esse infinitè maius quanto composito ex talibus partibus aliquotis propter infinitam multitudinem excessuum, quibus illæ has excedunt.

Propositio 24.

Spatium locale, quod imaginarium appellant, qua ratione reipsà est, infinitum categorematicè quoad trinam dimensionem est, scilicet quoad longitudinem, quoad latitudinem, & quoad profunditatem. 87

Quoniam huiusmodi spatium reipsà in possibilitate, siue in quiditate cuiusdam præsentiæ consistit extensæ suapte essentiâ quoad longitudinem, quoad latitudinem, & quoad profunditatem; subindeque compositæ ex partibus suapte essentiâ constituentibus hanc trinam extensionem, vtpote quarum vnaquæque extra omnes cæteras est, certumque, & fixum gradum constituit eiusmodi extensionum; ex quo, præterquàm à partibus sibi immediatis, cum quibus est contigua, à cæteris omnibus partibus distat multum, aut parum penes multitudinem, aut paucitatem aliarum partium, quæ suapte etiam essentiâ sunt interpositæ. Quæ omnia ex dictis disp. 5. q. 2. conspicua sunt.

Quod autem eiusmodi præsentia in suo statu possibilitatis, siue quiditatiuo ex partibus aliquotis longitudinis, latitudinis, & profunditatis categorematicè infinitis composita sit; categorematicèque subinde quoad dictam trinam dimensionem sit infinita iuxta proposit. 10. inde planè constat; quia, quibusuis eiusmodi partium aliquotarum acceptis, aliæ, & aliæ intra ipsum statum possibilitatis, siue quiditatiuum restant sine fine accipiendæ: quæ ipsissima est definitio infiniti categorematicè. 88

Et confirmatur manifestè; quia impossibile est dari in statu existentiali infinitum syncategorematicum aut extensionis, aut multitudinis; quin sint possibiles, atque adeò, quin dentur in statu possibilitatis, siue quiditatiuo partes aliquotæ similis extensionis, aut vnitates similis multitudinis categorematicè infinitæ, vt proposit. 1. monstratum est. Sed est certissimum, præsentiam defacto existentem totius Vniuersi infinitam syncategorematicè esse, quatenus ita finita est, vt circumquaque, siue quoad trinam extensionem prædictam maior, & maior in infinitum possit à Deo effici, additis alijs, atque alijs partibus similis extensionis, siue præsentiæ extensæ similiter. Igitur partes possibiles talis præsentiæ infinitæ categorematicè sunt; præsentiaque subinde possibilis ex illis composita circumquaque infinita est categorematicè in suo possibilitatis statu. Et consequenter spatium locale in prædictâ præsentiâ possibiliter, siue quiditatiuè sumptâ consistens quoad dimensionem, siue quoad extensionem trinam prædictam infinitum categorematicè est; prout nostra propositio fert. 89

Propositio 25.

Spatium temporale, siue tempus, quod imaginarium dicitur, qua ratione est, vtrinque infinitum categorematicè est, scilicet à parte ante, & à parte post. 90

Quia huiusmodi tempus in serie durationum suapte essentiâ successiuè fluentium possibiliter, siue

siue quiditatiuè sumptâ consistit reuerâ, prout supra disp. 8. q. 2. explanatum est. Hanc autem esse vtrinque infinitam, inde monstratur; quia ante quamlibet partem talis seriei aliæ, & aliæ sine principio, siue absque vllâ primâ fuerunt possibiles; & post quamlibet aliæ similiter, & aliæ in infinitum, siue absque vllâ vltimâ possibiles restant. Quod ipsum est, talem seriem intra statum suum possibilitatis, siue quiditatiuum categorematicè esse vtrinque infinitam.

91 Et confirmatur planè. Quia series durationum non solùm possibilium, sed etiam futurarum à parte post categorematicè est infinita in ijs creaturis, quæ in æternum sunt duraturæ iuxta dogmata fidei. Ergo non potest non esse categorematicè infinitum à parte post tempus, cui talium durationum series correspondet. A parte verò ante etsi series durationum existentium finita sit; quia aliquando cœpit; syncategorematicè tamen est infinita, vt est certissimum, quatenus potuit cœpisse antea, & antea, retrocedendo in infinitum. Quod stare nequit sine eo, quòd series durationum possibilium à parte ante sit infinita categorematicè intra suum possibilitatis statutum iuxta proposit. 1. Quod ipsum est, tempus, quod dicimus imaginarium, à parte ante esse etiam categorematicè infinitum.

Propositio 26.

92 Infinitudo spatij localis, & spatij temporalis fixa & inuariabilis est, ita, vt nec augeri possit, nec minui.

Est certum. Quia, vt constat ex propositione 24. & 25. infinitudo spatij localis aliud non est à quiditate præsentiæ circumquaque quoad trinam dimensionem infinitè extensæ; & infinitudo spatij temporalis ipsissima est itidem quiditas durationis vtrinque infinitæ, scilicet à parte ante, & à parte post. Huiusmodi autem quiditates, siue essentiæ nullam variationem aut augmenti, aut decrementi subire possunt, sicut possunt aliæ; eo quòd ambæ quoad extensionem, quidquid est excogitabile, replent, vnaquæque suo modo; et sicque subinde incapaces sunt accrementi. Nec possunt non replere; quo locus decremento non datur. Quoad intensionem verò ambæ indiuisibiles, & indefectibiles sunt. Quo ne vt sic quidem sunt capaces augmenti, aut decrementi. Spatium siquidem locale, & temporale non in essentiâ omnis præsentiæ, & omnis durationis consistunt; sed tantùm in essentiâ alicuius quoad intensionem indiuisibilis, vt supra disp. 5. quæst. 2. & disp. 8. q. 2. statutum est.

Propositio 27.

93 In spatio locali punctum quoddam determinatum datur, quod est centrum eius; vtpote à quo solo omnes lineæ rectæ circumquaque infinitè extensæ æquales sunt. Et in spatio temporali instans quoddam determinatum datur, quod quasi centrum eius est; vtpote à quo solo tempus præteritum infinitum, & tempus futurum infinitum æqualia sunt.

Incipio probationem, seu potiùs demonstrationem præsentis propositionis à parte secundâ. Cùm enim tempus præteritum infinitum à parte ante, & tempus futurum infinitum à parte post formaliter prout infinita, siue à lateribus, versùs quæ sunt infinita nequeant esse inæqualia iuxta proposit. 14. aliundeque prout terminata ab altero vniuscuiusque latere quouis instanti intermedio, & comparata interse vt duo quædam infinita extensionis eiusdem generis non possint non esse vel æqualia, vel inæqualia iuxta proposit. 13. Conficitur, si prout terminata instanti A sunt æqualia, instans A esse quasi centrum totius temporis vtrinque infiniti, quod quærimus. Si verò inæqualia, diuiso bifariam excessu, qui non potest non esse finitus iuxta proposit. 19. diuisio designabit instans medium, & quasi centrum totius temporis, quod inquirimus. Quo eodem pacto demonstratur, in qualibet lineâ ab vtroque latere infinitâ secundùm extensionem localem necessariò debere dari vnum determinatum punctum, per quod bifariam ea sit diuisibilis, & quod subinde veluti centrum ipsius sit.

Vnde iam demonstranda venit prima propositionis pars. Primò quidem; quia si in tempore vtrinque infinito necesse est, quòd detur instans à quo versùs vtrumque latus sit æqualis extensio infinita temporalis, & in lineâ vtrinque infinitâ necesse est, quòd detur punctum, à quo versùs vtrumque latus sit æqualis extensio longa, & infinita localis; certè in solido vndequaque infinito, quale est in suâ quiditate spatium locale, necesse quoque erit, quod detur punctum, à quo quoquouersùs sit æqualis extensio solida, & infinita localis; & consequenter à quo omnes lineæ rectæ quoquouersùs extensæ infinitè æquales sint. Quod proinde punctum centrum erit totius spatij localis. 94

Sed demonstremus secundò, & designemus tale centrum perinde, ac Geometræ demonstrant, designantque centrum cuiuslibet sphæræ. Quippe de spatio locali circumquaque infinito perinde, ac de sphærâ, quod ad rem attinet, venit philosophandum. Etenim, sicut quæuis linea recta ducta intra sphæram, & in superficie concaua eius vtrimque terminata necessariò est diameter bifariam diuidens aream alicuius circuli contenti in sphærâ, alteraque linea recta per eamdem aream extensa similiter, diuidensque priorem bifariam, & ad angulos rectos altera eiusdem areæ, circulique diameter est; & punctum, in quo se secant, ipsius centrum. Quod & ipsius sphæræ erit centrum, si talis circulus, & eius area ex maximis sint sphæram bifariam diuidentibus. Sin minus, centrum sphæræ erit punctum bifariam diuidens tertiam aliam lineam rectam ad angulos rectos traiectam per centrum prædicti circuli, & areæ eius perpendicularem ve tali areæ, & in superficie concaua ipsius sphæræ terminatam vtrinque. Vti per proposit. 2. lib. 1. Elem. Sphæric. Theodosij facilè demonstratur. Ita pariter quæuis linea recta spatij localis vtrinque infinita necessario est quasi diameter bifariam diuidens aliquam aream, siue superficiem planam circumquaque infinitam in spatio ipso contentam, alteraque linea recta per eamdem superficiem extensa similiter, diuidensque priorem bifariam, & ad angulos rectos altera est eiusdem superficiei quasi diameter; & punctum in quo se secant ipsius est centrum. Quod & totius spatij localis centrum erit, si dicta superficies ex maximis sit diuidentibus bifariam spatium ipsum. Sin minus, centrum erit ipsius spatij punctum bifariam diuidens tertiam aliam lineam rectam 95

ctam

ctam ad angulos rectos traiectam per centrum ſuperficiei prædictæ, ipſi vt perpendicularem, & vtrinque infinitam. Quæ omnia perinde demonſtranda veniunt, atque per citatam propoſitionem circa ſphæram demonſtrantur ſimilia; vt eiuſmodi demonſtrationem conſideranti, & ad propoſitum applicanti conſtabit. Imo & ex ipſis terminis probè eos apprehendenti innoteſcent.

96 Ex eis autem infertur primò, quemadmodùm areæ circulorum omnium maximorum ſphæræ, & interſe æquales ſunt, & omnes diametrales lineas æquales habent, & ipſam ſphæram bifariam ſecant, & centra habent coincidentia in idem centrum ipſius ſphæræ; vt demonſtrant Geometræ; ita omnes ſuperficies maximas planas ſpatij localis circumquaque infinitè extenſas & interſe æquales eſſe, & omnes diametrales lineas vtrinque infinitas habere æquales, & bifariam ſpatium ipſum ſecare, & centra habere coincidentia in idem centrum ipſius ſpatij.

97 Secundò infertur, quemadmodùm areæ circulorum non maximorum ſphæræ eò minores ſunt, eòque etiam ſubinde ſunt minores lineæ omnes diametrales earum; quò magis ſunt diſtantes à centro ſphæræ; &, quæ ab eo æqualiter diſtant, interſe ſunt æquales; quæ verò inæqualiter, inæquales, vt demonſtrant Geometræ; ita ſuperficies planas non maximas ſpatij localis circumquaque infinitè extenſas eò minores eſſe, eòque iiidem minores omnes lineas diametrales earum vtrinque infinitas, quò magis diſtantes ſunt à centro ipſius ſpatij; &, quæ ab eo æqualiter diſtant, interſe æquales eſſe, quæ verò inæqualiter, inæquales. Hæc enim omnia apertè poſtulat analogia, quam ſpatium locale quoquouerſùs infinitum habet cum ſphærà, quod ad rem attinet.

98 Aduertendum tamen eſt, dicta omnia, vt ſonant, intelligenda eſſe de ſpatio locali, ſi de illo, vt de quoddam quanto mathematico, & mathematicè loquamur: quo pacto & areæ perfectè planæ, & lineæ perfectè rectæ, & quæuis pars perfectè bifariam diuiſibilis conſiderantur. Si verò loquamur de illo, vt de quanto quodam phyſico, & prout phyſicè iacet; qua ratione in meà ſententià ex puris tandem indiuiſibilibus compoſitum eſt; cum addito *propè*, vel *fermè* intelligenda plerunque ſunt iuxta doctrinam traditam ſupra diſp. 10. q. 4. à n. 209.

99 Adde, per congruentiam quamdam fortaſſe ex dictis inſuper poſſe inferri. Primò, Deum totum hoc Vniuerſum ita in medio ſpatij localis creaſſe, vt centrum Vniuerſi in centrum ſpatij localis coincidat, ſiue idem punctum ambo ſint. Secundò, ita Deum Mundum hunc corruptibilem in medio temporis produxiſſe, vt inſtans bifariam diuidens integram durationem, qua Mundus ab exordio ſuæ creationis vſque ad ſuum finem eſt duraturus idem ſit inſtans bifariam diuidens totum tempus à parte ante, & à parte poſt infinitum. Hæc enim duo congruentiam quamdam videntur præſeferre.

100 Denique videtur inferendum vt valde conſentaneum, extenſionem infinitam, quam habet quælibet linea recta ducta quoquouerſùs à centro ſpatij localis, æqualem eſſe extenſioni infinitæ, quam ab inſtanti medio, & quaſi centro totius ſpatij temporalis, ſeu temporis habet vtrumuis temporis dimidium, ſcilicet tum quod tale inſtans præcedit, tum quod ſubſequitur. Nimirum iuxta ſententiam meam componentem vtrumque iſtud ſpatium ex puris indiuiſibilibus phyſicis æqualem eſſe multitudinem punctorum cuiuſuis dictarum linearum ſpatij localis multitudini inſtantium cuiuſuis dictorum dimidiorum ſpatij temporalis.

Poſtremò ex dictis circa præſentem propo- 101
ſitionem infertur, quoduis quantum extenſionis ab vtroque latere infinitum per aliquem gradum medium ſui bifariam diuiſibile eſſe, ſi multitudo graduum eius ſit par, prope bifariam autem, ſi ſit impar iuxta propoſit. 15. Quia aliquis gradus eius neceſſariò datur, qui eſt ipſius centrum, ſiue quaſi centrum, aut prope.

Propoſitio 28.

Licèt nullum quantum extenſionis ab 102
vno latere infinitum, & finitum ab altero per aliquem ſui gradum poſſit bifariam, aut prope bifariam diuidi, ita, vt ab vno latere vnum eius dimidium, & ab altero alterum dimidium, aut prope dimidium remaneant, iuxta dicta propoſit. 19. Aſt, tale quoduis quantum eſſe aliter bifariam, aut prope bifariam diuiſibile, neceſſe eſt.

Quia neceſſe eſt, tale quoduis quantum habere multitudinem infinitam ſuorum graduum, aut etiam quarumuis ſuarum partium aliquotarum vel parem, atque ita bifariam diuiſibilem, vel imparem, atque ita diuiſibilem prope bifariam iuxta propoſit. 15. Diuidetur ergo tale quoduis quantum à Deo bifariam, aut prope bifariam; ſi Deus alternatiuè ſeiungat dimidium, aut prope dimidium graduum, aut partium aliquotarum eius ab altero dimidio, aut prope dimidio.

Sit itaque linea incipiens hinc versùs Orien- 103
tem infinita. Ea quidem ex infinità multitudine vlnarum, aliarumve partium aliquotarum compoſita neceſſariò erit iuxta propoſit. 9. Quæ multitudo neceſſariò erit vel par, vel impar iuxta propoſit. 15. Sint ergo vlnæ alternatiuè prima alba, ſecunda nigra, tertia alba, quarta nigra, & ita deinceps: ſeiungatque Deus omnes vlnas albas ab omnibus nigris: manebitque tota linea diuiſa in duas vlnarum multitudines infinitas. Quæ æquales erunt, ſi multitudo integra diuiſa erat par: inæquales verò per exceſſum vnius vlnæ dumtaxat, ſi erat impar.

Sed dicet aliquis contra hoc. Cùm extrema 104
vlna totius lineæ à latere finito ſit alba, multitudo vlnarum albarum alteram multitudinem nigrarum à latere finito videtur vnitate excedere; cùmque ab altero latere infinito eodem modo ſe habeant; ſiquidem poſt quamlibet vlnam albam datur nigra, & poſt quamlibet nigram alba abſque vllo fine; abſolutè videtur in caſu poſito multitudo vlnarum albarum vnitate excedere alteram vlnarum nigrarum. Aliunde tamen videtur omnino falſum. Quia, ſi eſſet verum; ſublato exceſſu, nempe dicta vlnà vltimà albà, deberent duæ dictæ multitudines æquales manere. Cùm tamen aliunde rurſus inæquales vice versà reddi videantur: quandoquidem, ſublatà extremà vlnà albà, vlna nigra fiet extrema. Sicque iam multitudo vlnarum nigrarum perinde comparabitur multitudini vlnarum albarum, atque hæc illi comparabatur antea, cùm maior illa cenſebatur. Quæ omnia contradictionibus videntur implicata.

Propter hoc argumentum, quod calculatorium

rium appellant, nonnulli censent, infinitum categorematicum impossibile esse. Alij asserentes illud possibile ad argumentum factum respondent, prædictas duas multitudines vlnarum albarum, & nigrarum neque esse æquales, neque inæquales: quia æqualitas, vel inæqualitas quantorum dumtaxat finitorum est passio; infinitorum verò non item; prout iam superiùs adnotauimus proposit. 12. Meliùs alij respondere possent fortasse, etsi quantorum infinitorum æquè, ac finitorum passio sit æqualitas, vel inæqualitas, non tamen semper, sed tantùm, cùm sunt eiusdem generis iuxta doctrinam à nobis supra statutam disp. 10. q.2. diuis.18. prædictas autem duas multitudines vlnarum albarum, & nigrarum quanta diuersi generis esse censendas, quod ad rem attinet; eoque iure neque esse æquales, neque inæquales.

106 Verùm, quia certum mihi est ex proposit. 12. supra statutâ, quaslibet multitudines infinitas in ratione multitudinum necessariò esse æquales, vel inæquales, atque adeò, quod ad id attinet, eiusdem generis; proindeque prædictas duas multitudines vlnarum albarum, & nigrarum non posse non vel æquales, vel inæquales esse. Quia etiam non minùs est mihi certum ex proposit. 15. supra item statutâ, quamlibet multitudinem infinitam necessariò esse parem, vel imparem, atque adeò diuisibilem bifariam, vel prope bifariam; proindeque multitudinem infinitam quarumuis partium aliquotarum cuiuslibet lineæ ab altero latere infinitæ, & finitæ ab altero, non posse non esse parem, vel imparem, atque adeò diuisibilem bifariam, vel prope bifariam. Ideo censeo dicendum, multitudinem omnium vlnarum, ex quibus, supponimus, esse compositam lineam supra positam, necessariò esse parem, vel imparem; atque adeò multitudines vlnarum albarum, & nigrarum, in quas illa vel bifariam, vel prope bifariam diuisa est, necessariò esse æquales, vel inæquales præscindendo ab eo, quòd vlna extrema lateris finiti sit alba, vel nigra. Vtrauis enim potest esse, siue sint æquales, siue inæquales; cum aliquo tamen discrimine positionis omnium vlnarum in ordine ad locum. Itaque casu, quòd dictæ multitudines vlnarum sint æquales, & extrema vlna lateris finiti sit alba, si Deus omnium earum localem positionem permutaret (vt citra dubium est possibile) ponendo omnes vlnas albas totius lineæ in locis nigrarum, & omnes nigras in locis albarum, æquales nihilominùs permanerent, & tamen iam extrema vlna lateris finiti esset nigra. Casu autem, quòd sint inæquales, & extrema vlna lateris finiti sit alba, hæc necessariò erit excessus albarum supra nigrarum. Quare, si tali extremâ albâ retentâ, Deus in locis omnium nigrarum poneret albas, & vice versâ, pro ipsâ extremâ locus nigræ necessariò deesset; proindeque in suo permaneret loco. Indeque fieret, vt tali permutatione factâ, à latere finito lineæ duæ vlnæ albæ immediatæ, & extremæ remanerent. Ex quibus iam liquido apparet, quomodò ad argumentum propositum sit respondendum.

107 Qua ratione autem sub exemplo prædictæ lineæ de quanto extensionis localis ab vno latere infinito, & finito ab altero ad propositum philosophati sumus; eàdem prorsus philosophandum est de quanto extensionis temporalis; & vniuersè de quouis omnino quanto extensionis cuiusuis generis ab vno latere infinito, & finito ab altero.

108 Quæ cum ita sint, ex doctrinâ præsentis propositionis infero primò, possibilem, siue excogitabilem esse lineam continuam ab vno latere infinitam, & finitam ab altero, quæ vt sic in nullo omnino spatio locali locari possit; eo quòd nullum est spatium lineale, cui possit ea vt sic congruere. Si enim omnes vlnæ albæ alternatiuè à nigris seiunctæ ex lineâ superiùs propositâ continuentur interse, linea continua huiuscemodi resultabit nullibi collocabilis. Quia non in spatio lineali vtrinque finito, vt est notum; cùm sit ea ab altero latere infinita. Neque in spatio lineali vtrinque infinito, vt etiam est notum; cùm sit ea ab altero latere finita. Neque in spatio lineali ab vno latere infinito, & finito ab altero; quia omne excogitabile huiusmodi infinitè maius est illâ, atque ita nullum excogitabile est, cui possit illa congruere. Etenim, si quod excogitabile esset ex ipso integræ lineæ desumi posset à latere, versùs quod infinitum est. Nam cum omnia spatia linealia à latere, versùs quod sunt infinita, nullatenus se possint excedere iuxta proposit. 14. eiusdemque subinde rationis sint quoad infinitatem eius lateris, si ex aliquo non potest desumi portio, cui congruat dicta linea ob infinitum illius excessum, ex nullo poterit desumi. At ex spatio integræ lineæ, cuius linea, de qua agimus, dimidium est, desumi non posse, est manifestum: quia omnis portio excogitabilis ex quocunque puncto talis spatij versùs latus infinitum eius infinitè maior est residua; cùm hæc necessariò sit semper finita iuxta proposit. 19. & consequenter infinitè maior est dicto dimidio integræ lineæ, quæ totum ipsum spatium antea replebat. Quod demonstratur. Nam, vt dimidio dicto integræ lineæ portio infinita ex spatio eius desumpta esset æqualis, & ipsi congruens, alteri dimidio deberet esse æqualis portio ipsius spatij residua; vt constat. At hæc necessariò est alteri dimidio infinitè minor; cùm necessariò sit finita. Igitur & illa dicto dimidio necessariò est infinitè maior. Clariùs. Quoties magnitudo, quæ dupla est alteri, diuiditur non bifariam, quantum excedit altera partem minorem duplæ diuisæ, tantum & ipsa exceditur à parte maiore; vt Geometræ demonstrant, & ex se est satis notum; (cernitur que in numero 20. duplo numero 10, diuisoque non bifariam in 14, & 6; quantum siquidem 10. excedit 6, tantum ipse 10. exceditur à 14; & in cæteris pariter). Cum igitur prædictum spatium dictæ integræ lineæ dimidio ipsius lineæ duplum sit; &, per quodcunque punctum sui diuidatur, necesse sit, non bifariam diuidi, parsque eius minor necessariò sit semper finita, & pars maior infinita iuxta dicta proposit. 19. necessariò consequitur, dictum dimidium integræ lineæ non posse non semper infinitè excedere partem minorem dicti spatij per quoduis omnino punctum diuisi; atque adeò infinitè etiam semper excedi ab alterâ ipsius parte maiore. Quod erat demonstrandum.

109 Secundò ex eàdem doctrinâ pariter infero, si Deus in singulis horis totius temporis infiniti præteriti continuè produxisset vnicum Angelum, eam multitudinem infinitam Angelorum productam iri, cuius dimidium in nullius portionis temporis præteriti singulis horis continuè potuisset produci: quia omnis excogitabilis portio continua horarum præteriti temporis infinita à parte ante, & à parte post finita, qualis ad casum esse deberet, infinitè maior est Angelorum dicto dimidio; prout per demonstrationem factam circa casum præteritum huic pariter applicandam vnicuique innotescet.

Ter-

110 Tertiò vniuersaliter infero, quotiescunque quantum extensionis aut localis, aut temporalis ab vno latere infinitum, & ab altero finitum est, spatiumque continuum aut locale, aut temporale reuerà datur, cui illud congruat, siue adæquetur; nullum omnino excogitabile esse spatium continuum aut locale, aut temporale, cui possit congruere siue adæquari aliqua pars illius infinita ex omnibus in se infinitis, in quas illud diuisibile est. Quia nullum datur excogitabile spatium aut locale aut temporale reuerà, quod non sit infinitè maius qualibet eiusmodi partium in se infinitarum, in quas tale quantum diuidi potest. Quod vniuersaliter demonstratur. Quia, vt fert certissimum, & ex se satis, superque notum, atque etiam valde vniuersale Geometrarum principium. Quoties duæ quælibet magnitudines interse æquales in quatuor partes omnes inæquales, vnaquæque in duas diuiduntur, quantum excedit quælibet pars primæ magnitudinis quamlibet partem secundæ, tantum residua pars secundæ excedit residuam primæ, vel vice versa. Sic, si numeri 40, & 40. diuidantur primus in 30, & 10, secundus in 25, & 15; quantum excedit 30. pars primi 15. partem secundi, tantum 25. residua pars secundi excedit 10 residuam partem primi; & è conuersò quantum 15 pars secundi excedit 10 partem primi, tantum 30 residua pars primi excedit 25 residuam secundi. Cùm igitur spatium seu locale, seu temporale, & quantum ipsi congruens, de quibus tractamus, æqualia sint. Spatiumque per quoduis sui indiuisibile non aliter diuidi possit, quàm in duas partes inæquales, quarum altera necessario, & semper finita, & altera infinita sit iuxta doctrinam statutam proposit. 19; in quæcunque demum duo infinita inæqualia diuidatur quantum ipsi congruens, necessariò fiet, vt quantum quoduis eorum excesserit partem finitam spatij, tantumdem residuum excedatur ab alterà spatij parte infinità. Cùmque quoduis eiusmodi infinitorum partialium non possit non semper excedere infinitè partem finitam spatij, nec poterit non quoduis eorum ab alterà parte spatij infinità excedi infinitè. Nullaque propterea est possibillis pars spatij infinita, quæ quolibet prædictorum partialium infinitorum infinitè maior non sit. Quod erat demonstrandum.

111 Quartò infero, quoniam omne ens prout existens essentialiter exposcit aliquam præsentiam in loco, & aliquam durationem in tempore, vt supra disp. 5. q. 8. & disp. 8. q. 6. stabilitum est, si Deus velit producere aliquod quantum extensionis aut localis, aut temporalis ex prædictis, quibus nullum spatium, aut locale, aut temporale continuum & adæquatè congruens possibile est, necessariò debere illud ponere in spatio locali, aut temporali ipsi possibili alterius rationis, ponendo videlicet ipsius partes aut interruptas in aliquo spatio non continuo infinito, aut penetratas in aliquo cuiusuis rationis finito.

112 Quintò infero, quoties quantum ab vtroque latere infinitum, & congruens spatio continuo aut locali, aut temporali in quasuis omnino partes ab vtroque etiam latere in se infinitas diuideretur, fore vtique, vt nulla earum in vllo spatio continuo ab vtroque itidem latere infinito collocari posset: quia omne eiusmodi spatium infinitè maius est illà. Si enim talis quanti pars huiuscemodi diuisa in duas ab vno latere infinitas, & finitas ab altero in nullis duobus spatijs pariter ab vno latere infinitis, & finitis ab altero ponibilis esset iuxta præcedentes demonstrationes, multò potiori iure indiuisa in nullo integro spatio vtrinque infinito esset ponibilis; vt satis ex se est notum. Cùm planè difficiliùs sit, integrum spatium congruens pro totà dictà parte vtrinque infinita inuenire, quàm inuenire duo congruentia spatia pro duobus eius dimidijs ab altero dumtaxat larere infinitis.

Sextò ex doctrinà præsentis propositionis 113
infertur, quantum extensionis ab vno latere infinitum, & finitum ab altero formaliter, prout extensionis est, in plures portiones infinitas neutiquam diuisibile esse. Quia tunc solùm, prout est quantum extensionis diuiditur, cùm per aliquem, aut aliquos gradus dissecatur in extrema, quæ per talem, aut tales gradus copulabantur. Vt sic autem solùm potest diuidi in portiones, quarum vna sit infinita, & alia, aut aliæ finitæ iuxta doctrinam statutam proposit. 19. & aliàs sæpe repetitam. Quòd si quantum extensionis ab vtroque latere sit infinitum in duas portiones infinitas ab vno latere dumtaxat, non verò in plures diuisibile erit quatenus extensionis est. Quatenus verò quantum extensionis siue ab vno, siue ab vtroque latere infinitum etiam est quantum infinitum multitudinis ratione multitudinis infinitæ quarumuis suarum partium aliquotarum iuxta proposit. 9. non solùm in plures sed in infinitas, imo infinities infinitas portiones, quarum singulæ sint infinitæ, diuisibile est, perinde, atque cætera quanta infinita multitudinis, iuxta proposit. 16. Est enim primò diuisibile bifariam, aut prope bifariam per seiunctionem alternatiuam dimidij, aut prope dimidij quarumuis suarum partium aliquotarum à residuo, prout paulò antea dicebamus de lineà infinità compositá ex alternis vlnis albis, & nigris. Rursusque quoduis horum dimidiorum, quæ iuxta proposit. 16. citatam non possunt non esse infinita, simili diuisione est diuisibile eodem iure in alia duo infinita. Et hæc in alia infinita pariter. Et ita deinceps absque vllo fine. Ex quo patet, quodlibet infinitum extensionis ex multitudine infinità infinitorum quarumuis suarum partium aliquotarum compositum esse. De quorum rursùs vnoquoque idem dicendum sequitur eodem titulo. Quod est, eorum quodlibet non solùm in infinitas, sed in infinities infinitas portiones, quárum singulæ sint infinitæ, diuisibile esse. Atque adeò etiam in infinities infinities infinities infinitas sine fine repetendo istud aduerbium; prout est generatim statutum de omni infinito multitudinis dictà proposit. 16.

Insurget tamen aliquis contra dicta conten- 114
dens, dimidium illud vlnarum ex lineà infinità alternatiuè desumptarum, & dimidium illud Angelorum singulis horis totius temporis præteriti productorum (& idem est de cæteris nulli spatio continuo congruentibus locali, aut temporali iuxta dicta) aut non esse infinita, aut esse æqualia, & proportionata cuilibet spatio continuo locali, & temporali. Quod vtrumque doctrinæ traditæ contradicit. Etenim, si Deus continuè, & successiuè reponat in spatio integræ lineæ prædictas vlnas incipiendo hinc versùs Orientem. Aut tandem finietur multitudo earum. Et sic finita erat; quia successiuè pertransibilis. Aut, repositis quibusque, aliæ, & aliæ supersunt semper reponendæ absque fine; sicut, repletis quibusque partibus spatij dicti integræ lineæ, aliæ, & aliæ sine fine restant replendæ per vlnas ipsas. Et sic infinitum vlnarum, & infinitum partium spatij eis

respon-

respondentium æqualia erunt; quia duo infinita quatenus talia nequeunt esse inæqualia iuxta proposit. 14. Similiter ex illo dimidio Angelorum corrumpat Deus successiuè, & continuè vnum singulis horis temporis futuri. Aut finientur Angeli; & ita erant finiti. Aut nunquam poterunt finiri; & ita multitudo eorum multitudini omnium horarum futurarum æqualis erit, atque adeò & æquali multitudini præteritarum. Respondeo, in primo casu multitudinem vlnarum nunquam finiendam; quia infinita est: etsi sit infinitè minor multitudine partium æqualium spatij dicti integræ lineæ, vt verè est; non tamen formaliter sumptâ, sed materialiter. Similiterque, in secundo casu multitudinem Angelorum nunquam finiendam; quia infinita est; infinitè tamen minor sumpta pariter materialiter, quàm infinita multitudo horarum totius temporis futuri. Itaque ex eo, quòd duæ quæque multitudines non sint finibiles successiuè, non sequitur, eas æquales esse. Cùm certum sit ex proposit. 16. dimidium cuiusuis infiniti infinibile esse successiuè: sicut & ipsum infinitum; à quo tamen infinitè exceditur in altero dimidio. Benè ergo poterit multitudo prædicta vlnarum esse infinibilis successiuè, sicut prædicta multitudo partium æqualium spatij dicti, & tamen illam ab hac infinitè excedi. Tantundemque est de prædictâ multitudine dimidij illorum Angelorum comparata cum totâ multitudine omnium horarum tum totius temporis futuri, tum æqualis præteriti. De quo plura explicatiùs trademus infra q. 5.

Propositio 29.

115 Quemadmodum dantur numeri proportionales, & series, siue progressiones ex illis compositæ; ita quoque dantur (in statu scilicet quidditatiuo) infinita multitudinis proportionalia, & progressiones ex eis compositæ.

Hoc enim ipso, quòd infinita multitudinis sunt æqualia, vel inæqualia iuxta proposit. 12. proportionem interse habent. Cùm aliud non sit, habere interse proportionem duo quælibet quanta, quàm esse illa æqualia, vel inæqualia, iuxta definitionem statutam disp. 10. q. 2. diuis. 19. Hoc autem ipso, quòd duo quæque infinita multitudinis proportionem habent, duo aliqua binaria eorum similem proportionem habere poterunt, sæpeque habebunt, vt constat. Quæ proinde proportionalia erunt iuxta dicta ibidem diuis. 20. Ex pluribusque huiusmodi proportionalibus binarijs progressio talium infinitorum coalescet aut continua, si talia binaria sint inadæquatè distincta, aut non continua, si adæquatè, iuxta dicta etiam ibidem. Et quoniam infinita multitudinis inæqualia aut possunt se excedere excessu finito, aut infinito iuxta proposit. 21. consequenter infinita proportionalia proportione inæqualitatis aut penes excessum finitum, aut penes infinitum talia esse possunt. Similiterque penes vnum, aut alterum excessum progredi series coalescentes ex illis.

116 Apponamus exempla. Sit primùm progressio quæuis numerorum proportionalium quocunque genere proportionis: adijcianturque singulis numeris singulæ multitudines infinitæ interse æquales. Certè ex vtrisque totidem infinita multitudinis resultabunt proportionalia eodem genere proportionis, & penes eumdem excessum finitum, quo numeri proportionales erant: seriesque proinde infinitorum multitudinis proportionalium pariter resultabit composita, ac erat series numerorum, vt est manifestum. Vtrùm autem eiusmodi series resultans proportionalium multitudinum in se infinitarum aut ab altero, aut ab vtroque latere possit esse infinita, ex dicendis mox apparebit.

Deinde. Sit infinitum quoduis multitudinis primum; & infra illud aliud æquale dimidio ipsius primi; & infra hoc aliud æquale dimidio secundi; & rursus aliud æquale dimidio tertij; sicque deinceps sine fine. Certè progressio infinitorum multitudinis proportionalium resultabit descendens in proportione duplâ penes excessum infinitum; à latereque, versùs quod descenditur in suâ quidditate infinita. Quæ omnia ex doctrinâ demonstrata proposit. 16. manifesta sunt. Vtrùm autem series ista ab altero latere, versùs quod ascenditur, possit etiam esse infinita, ita, quòd infinito, quod primum diximus, addatur aliud ipsius duplum, & huic aliud duplum, & ita pariter aliud, & aliud, sine fine ascendendo, ex iam iam dicendis constabit. 117

Venit enim in præsentiarum examinandum vniuersè. Primò, an sit dabilis, siue excogitabilis series, siue multitudo infinita infinitorum interse æqualium, ex quibus tanquam ex partibus aliquotis cum in se, tum quoad multitudinem infinitis vnum quoddam infinitum coalescat. Secundò, an sit dabilis, siue excogitabilis series infinitorum inæqualium, quæ infinita sit tam à latere, versùs quod ascenditur, quàm à latere, versùs quod descenditur; ex multitudineque subinde infinitâ partium in se infinitarum composita sit tum sine fine descendente, tum etiam sine fine ascendente proportione proportionalium. 118

Pro resolutione suppono vt certum ex infra dicendis quæst. 3. vnicum esse siue dari in statu quiditatiuo infinitum multitudinis omnium excogitabilium maximum, quo subinde maius aliud verè non est excogitabile, aut conceptibile adhuc à Deo. Tale enim est illud, quod complectitur omnes conceptus obiectiuos tum possibiles, tum impossibiles à Deo conceptibiles. Quo etiam pacto iuxta dicenda ibidem datur vnicum infinitum creaturarum possibilium maximum omnium excogitabilium earum; quod nimirum illas omnes, nullâ demptâ, complectitur. Necnon vnicum pariter infinitum omnium specierum sub quouis genere contentarum omnes omnino illas complectens; quod maximum proinde est omnium infinitorum excogitabilium earum. Similiter vnicum datur infinitum indiuiduorum contentorum sub quauis specie omnia illa comprehendens; quod maximum est omnium eorum, quæ ex talibus indiuiduis possunt componi. Et vniuersè intra quamlibet entium differentiam infinitum complectens omnia entia ad talem differentiam spectantia maximum omnium infinitorum est, quæ possunt componi ex talibus entibus. Ex quo patet, etsi non possit dari infinitum, quod vel absolutè, vel in aliquo genere sit omnium minimum iuxta doctrinam demonstratam proposit. 16. benè tamen posse dari, defactoque dari intra statum quidditatiuũ infinitum, quod sit omnium maximum tum absolutè, tum in vnoquoque genere entium, siue conceptuum obiectiuorum. 119

Quæ cum ita sint, dico primò. Nulla datur, nullaque proinde verè conceptibilis est adhuc in- 120 tra statum quidditatiuum aut absolutè, aut in aliquo genere multitudo infinita infinitorum interse æqualium. Seu, quod in idem recidit, nullum datur vere conceptibile infinitum aut absolutè, aut in aliquo genere, quod ex infinita multitudine partium aliquotarum inse infinitarum componatur. Demonstro hoc primò. Quia omnes omnino multitudines partium æqualium inse infinitarum contentæ in quouis omnino infinito numeri quidam finiti sunt. Ergo nullum est infinitum continens inse aliquam multitudinem infinitam partium aliquotarum, seu æqualium in se infinitaram, siue compositum ex illâ. Consequentia est euidens. Probo antecedens. Quia in progressione numerorum partium inse infinitarum cuiusuis omnino infiniti incipiente à binario, & ascendante sine fine in proportione duplà omnes omnino partes proportionales, & aliquotæ talis infiniti clauduntur; aliquotæ quidem in singulis numeris; proportionales autem in totà serie. Sed nullus numerus talis seriei est infinitus; & si multitudo numerorum constituens seriem ipsam sit infinita. Ergo nulla multitudo partium aliquotarum inse infinitarum talis infiniti est infinita, sed omnis quidam numerus finitus est; etsi multitudo, seu potius multitudines partium proportionalium eius proportione descendente infinitæ sint. Consequentia est iterum euidens, & minor demonstrata proposit. 22. Maiorem probo, seu potiùs explico, vt appareat. Quia, si in quouis omnino infinito concipiat Deus primò duo dimidia inse infinita iuxta proposit. 16; (neque ad rem interest, quod sint prope dimidia iuxta dicta ibidem); secundò quatuor quartas partes etiam in se infinitas; tertiò octo octauas infinitas similiter; & sic deinceps in infinitum duplicando numerum præcedentem; infinitam progressionem numerorum concipiet ascendendo à binario in proportione subduplà, quorum singuli erunt numeri partium inse infinitarum interse æqualium, atque adeò aliquotarum; sed semper eò in se minorum, quò maiores sunt numeri. Et quia singuli numeri in se sunt finiti, nullusque totius progressionis, siue seriei infinitus est iuxta dicta, nulla erit in totà serie multitudo partium interse æqualium, siue aliquotarum, quæ non sit finita. Quia verò numerorum multitudo infinita est, quælibetque pars aliquotarum componentium quemlibet numerum minorem dupla est qualibet parte aliquotarum aliarum componentium quemlibet numerum subsequentem maiorem, series partium proportionalium in proportione duplà descendentium à binario per omnes numeros; (ita, vt, quo passu ascendit series numerorum in proportione subduplà, eodem descendant series partium componentium numeros ipsos in proportione duplà; eo quòd quilibet numerus duplo maior, quàm præcedens, duplo plures, duploque minores partes, quàm ipsum continet); series, inquam, eiusmodi partium non possunt non esse infinitæ. Quæ quidem incipientes ab ipso binario tanquam à trunco in plures, & plures ramos disperguntur, & extenduntur sine fine per subsequentes omnes numeros maiores, & maiores semper in infinitum. Quoniam denique in serie infinità modo dicto formatà numerorum partium aliquotarum omnes omnino partes infiniti, cui illa competit, quodcunque illud sit, tam proportionales, quàm aliquotæ inse infinitæ comprehenduntur, vt ex ipsius constructione manifestum est. Concluditur, in quolibet omnino infinito proposito nullam multitudinem reperiri posse infinitam partium aliquotarum inse infinitarum; tametsi multæ infinitæ multitudines, seriesve reperiantur partium in se infinitarum proportione descendẽte proportionalium. Quod erat ostendendũ.

Secundò ostenditur id ipsum. Quia in quo- 121
uis infinito extensionis nullæ partes inse infinitæ, & interse æquales, siue aliquotæ considerari possunt, nisi compositæ ex partibus inse finitis, & quoad multitudinem infinitis interpolatè sumptis, prout ex doctrinâ demonstratâ proposit. 19. & 28. liquidum est. Hinc autem manifestè consequitur, tantam dumtaxat, & non maiorem, posse esse multitudinem partium aliquotarum inse infinitarum tali infinito competentium, quanta esse potest interpolatio quæuis dictarum partium inse finitarum, vt consideranti innotescet. Ast nulla interpolatio eiusmodi potest esse infinita, (cùm omnis sit quædam intercapedo terminis clausa), iuxta doctrinam statutam proposit. 18. Igitur nulla multitudo partium aliquotarum inse infinitarum tali infinito competentium potest esse infinita. Tantundemque subinde venit dicendum de cæteris quibusque infinitis.

Tertiò ostenditur. Quia, si multitudo ali- 122
qua infinita partium aliquotarum inse infinitarum dabilis esset, aut verè conceptibilis, dato quolibet infinito aut absolutè, aut intra quoduis genus ex finito numero talium partium composito, aliud maius illo dabile esset; nullumque subinde esset maximum, quo maius aliud dari non posset aut absolutè, aut intra quoduis genus. Quod est absurdum contra doctrinam certam suppositam num. 119. Itaque nullum esset infinitum hominum possibilium, quod per additionem nouæ partis aliquotæ inse infinitæ non posset fieri infinitè maius. Sicque nullum esset maximum contra dictam certam suppositionem.

Quartò ostenditur. Quia quoduis infinitum 123
ex numeris finitis partium aliquotarum inse infinitarum compositum est adæquatè, vt ex duobus dimidijs, ex quatuor quartis partibus, ex octo octauis, &c. ita, vt vltra quemuis earum numerum ne vnam quidem aliam partem cæteris eiusdem numeri æqualem possit inse capere, vt constat. Igitur nulla necessaria est ad componendum illud partium eiusmodi aliquotarum multitudo infinita; & consequenter neque possibilis; (essentialia quippe, vt sunt partes comparatione totius, si non sunt necessaria, sunt repugnantia, vt constat); tametsi, quò minores fuerint tales partes, eò maior necessariò esse debeat numerus earum finitus. Confirmatur. Quia ad componendum adæquatè quodlibet infinitum requiritur aliqua multitudo infinita partium aliquotarum in se finitarum, ideo nulla ad id sufficit talium partium quantumuis magnarum multitudo finita iuxta proposit. 9. Ergo è conuersò, quia ad componendum adæquatè quodlibet infinitum sufficit aliqua multitudo finita partium aliquotarum inse infinitarum, nulla ad id talium partium quantumuis paruarum erit necessaria multitudo infinita; & consequenter neque possibilis iuxra dicta.

Quintò. Sicut se habent partes aliquotæ in- 124
se finitæ respectu totius finiti, ita se habent partes aliquotæ inse infinitæ respectu totius infiniti. Ob id enim sicut totum finitum componitur ex duobus dimidijs, ex quatuor quartis partibus, ex octo octauis, & cæteris inse finitis; ita totum infinitum componitur ex duobus dimidijs, ex quatuor quartis partibus, ex octo octauis, & cæteris

inse

in se infinitis. Sed nullæ sunt partes aliquotæ in se finitæ, quæ in multitudine finitâ non possint adæquatè componere totum finitum, aut quæ possint in infinitâ. Ergo & nullæ sunt partes aliquotæ in se infinitæ, quæ in multitudine finitâ non possint adæquatè componere totum infinitum aut quæ possint in infinitâ.

125 Dico secundò. Nulla datur, aut verè conceptibilis est series infinita infinitorum inæqualium, proportionaliumque proportione ascendente à minore inæqualitate versùs maiorem. Seu, quod est idem, nullum datur, aut verè conceptibile est infinitum compositum ex multitudine infinitâ partium in se infinitarum, & inæqualium, proportionaliumque proportione ascendente à minore inæqualitate versùs maiorem. Quod ostendo primò. Quia, si talium partium proportionalium multitudo infinita in aliquo infinito daretur, & partium quoque aliquotarum in se infinitarum daretur multitudo infinita contra assertum præcedens. Cùm sit manifestum, multitudinem infinitam partium proportionalium in se infinitarum proportione ascendente necessariò includere in se multitudinem infinitam partium aliquotarum in se etiam infinitarum iuxta dicta in simili supra proposit. 22.

126 Secundò ostendo. Quia, si daretur eiusmodi series infinita infinitorum, siue partium in se infinitarum proportionalium proportione ascendente, nullum dabile esset infinitum, quo maius aliud dari non posset: nullumque proinde esset omnium maximum aut absolutè, aut intra quoduis genus contra certam suppositionem factam n. 119. Sicut, quia series numerorum proportionalium proportione ascendente infinita est, nullus est dabilis numerus, quo maior alius dari non possit; nullusque est dabilis proinde, qui sit maximus omnium; vt est manifestum ex se, & ex dictis proposit. 22.

127 Tertiò ostendo. Quia nulla est pars infinita cuiusuis infiniti, ad quam non possit perueniri descendendo ab ipso infinito in proportione dupla per progressionem vsque ad talem partem finitam, vtpote duobus terminis clausam, nimirum toto infinito, & parte ipsâ, prout ex doctrinâ explicatâ num. 120. manifestum est. Igitur nulla est pars infinita cuiusuis infiniti, à qua in proportione subduplâ sine fine possit ascendi intra infinitum ipsum. Igitur, cùm eadem manifestè sit ratio cæterarum omnium proportionum minoris inæqualitatis versùs maiorem, nulla est pars infinita cuiusuis infiniti, à qua intra infinitum ipsum sine fine possit ascendi quouis genere proportionis minoris inæqualitatis versùs maiorem; prout manifestè requirebatur, vt tale infinitum ex aliquâ serie infinitâ partium in se infinitarum, proportionaliumque proportione ascendente à minore inæqualitate versùs maiorem compositum esset.

128 Quartò denique. Quia, sicut se habet series partium proportionalium in se finitarum comparatione totius finiti, ita se habet series partium proportionalium in se infinitarum comparatione totius infiniti. Sed est impossibilis series infinita partium finitarum proportionalium proportione ascendente intra totum finitum, vt est certissimum. Ergo impossibilis quoque est series infinita partium in se infinitarum proportionalium proportione ascendente intra totum infinitum.

129 Dico tertiò, & vltimò. Possibilis est series infinita infinitorum inæqualium proportionaliumque proportione descendente à maiore versùs minorem inæqualitatem. In quolibetque omnino infinito multæ continentur eiusmodi series infinitæ partium in se infinitarum proportionalium proportione descendente similiter. Assertum hoc tum ex dictis nuper n. 120. tum ex dictis proposit 16. manifestum est. Hoc enim ipso, quòd infinitum quoduis in alia infinita minora, & alia minora, & alia minora sit diuisibile in infinitum, vt in dictâ proposit. monstratum est, non possunt non esse possibiles, aut verè conceptibiles prædictæ series infinitæ tum infinitorum, tum partium in se infinitarum proportionalium proportione descendente, vt est notum.

Ex quibus omnibus duo discrimina valde notanda colliges inter quanta finita, & quanta infinita. Primum, quòd quantorum in se finitorum, atque interse æqualium multitudo infinita verè est conceptibilis, vereque datur intra statum quiditatiuum: quinimo quodlibet quantum infinitum eo ipso constat ex multitudine infinitâ quarumuis partium aliquotarum, quæ quanta quædam in se finita, & interse æqualia sunt; vt proposit 9. monstratum est. Quantorum verò in se infinitorum, & interse æqualium multitudo infinita nec dabilis, nec verè conceptibilis est adhuc intra statum quiditatiuum. Nullumque infinitum subinde ex multitudine infinitâ partium aliquotarum in se infinitarum potest esse compositum, vt in præcedentibus monstratum est. Secundum discrimen est, quòd quantorum in se finitorum, & interse inæqualium, proportionaliumque quouis genere proportionis series infinita à latere, versùs quod ascenditur, à minore scilicet inæqualitate versùs maiorem, verè conceptibilis est, verèque datur intra statum quiditatiuum. Secus verò series infinita ab altero latere, versùs quod descenditur. Ab hoc enim latere omnis series quantorum in se finitorum necessariò est finita. Quod vtrumque constat ex dictis proposit. 22. & 23. Vnde etiam fit, vt intra quoduis infinitum quæuis series partium eius proportionalium in se finitarum in infinitum possit ascendere; descendere verò in infinitum, loquendo physicè, non item iuxta dicta ibidem. In quantis verò in se infinitis, & interse inæqualibus atque proportionalibus quouis genere proportionis oppositum euenit. Quia nulla datur, nec verè conceptibilis est, adhuc intra statum quiditatiuum, series eorum à latere, versùs quod ascenditur infinita. Cùm tamen multæ dentur, verèque concipiantur eorum series infinitæ ab altero latere, versùs quod descenditur, prout in præcedentibus ostendimus. Vnde intra quoduis infinitum quæuis series partium eius proportionalium in se infinitarum à latere versùs, quod ascenditur, finita, à latere autem, versùs quod descenditur, infinita est, vt ex dictis etiam est notum.

Propositio 30.

Etiam dantur intra statum quiditatiuum infinita extensionis proportionalia, & progressiones ex eis compositæ. Quæ quidem omnes à latere, versùs quod ascendunt, finitæ sunt; à latere verò, versùs quod descendunt, infinitæ. 131

Hæc propositio ex dictis circa præcedentem est satis nota. Nec noua aliqua eget demonstratione. Nam quæcunque ibi circa infinita multitudinis dicta sunt, æquè habent locum circa infinita extensionis. Facilèque ab vnoquoque poterunt illis applicari.

Propositio 31.

132 **Nullum quantum infinitè extensum localiter, quatenus tale est, moueri localiter potest.**

Sit enim linea incipiens hinc versùs Orientem infinita. Certè ea nec versùs Orientem directè, nec versùs Occidentem moueri poterit. Quia, quidquid mouetur localiter, necessariò acquirit aliquas nouas partes spatij, ad quas mouetur, & relinquit alias, à quibus mouetur, vt est certum. Si igitur prædicta linea moueretur versùs Orientem, acquireret aliquas partes spatij, ad quas antea non pertingebat. Hoc autem impossibile est. Quia sequeretur, illam ante huiusmodi motum totum spatium lineale, cui correspondet, infinitum ab eo latere non repleuisse, in aliquàque subinde parte eius habente post se alias vacuas terminatam esse. Et consequenter iuxta dicta proposit. 18. non esse illam infinitam, sed finitam contra suppositionem. Si verò ab Oriente versùs Occidentem moueretur, aliquam partem spatij vacuam relinqueret necessariò in latere Orientali. Atque ita post motum dumtaxat pertingeret linea ad partem spatij immediatam parti vacuæ relictæ. Sicque & in illâ terminaretur, & totum spatium lineale suum ab eo latere infinitum non repleret. Iterumque iuxta proposit. 18. non esset infinita, vti supponitur, sed finita. Quæ ambo absurda simul sequuntur ex eo, quòd linea ab vtroque latere infinita versus eorum quoduis directè moueretur. Pariterque inferenda veniunt ex eo, quòd quoduis aliud quantum infinitè extensum localiter, quatenus tale est, moueatur localiter. Nullum ergo tale taliter moueri potest, vt nostra propositio fert.

133 Sed potest opponi contra illam. Si inciperet hinc series hominum infinita versùs Orientem, ita, vt inter vnumquemque, & sequentem esset distantia decem vlnarum, nullus in totâ serie esset homo, qui non posset moueri tum versùs Occidentem, tum etiam versus Orientem, donec ad locum subsequentis accederet: quis id dubitet? Igitur omnes versùs vtrumque latus moueri possent; & consequenter tota series ab illis omnibus indistincta: quæ quantum quoddam esset nihilominùs infinitè extensum localiter. Respondeo, sicut nullus in totâ serie datâ esset homo, vltra quem non essent alij infiniti versùs Orientem, ita nullum in totâ ipsâ serie fore hominem, qui non posset versùs vtrumuis latus moueri, permanentibus tamen alijs infinitis immotis versùs Orientem, dum moueretur ipse. Quo pacto omnes distributiuè sumpti moueri possent; omnisque omnino eorum multitudo finita; non tamen absolutè, sed ex suppositione, quòd vltra omnes finitos, qui mouerentur, alij semper infiniti manerent immoti. Recognoscatur doctrina tradita supra disp. 10. q. 3. proposit. 20.

134 Hæc dicta de motu quanti infinitè extensi localiter, quatenus tale est, scilicet de motu, quo illud tenderet directè versùs latus sui infinitum, aut ab eo recedendo versùs oppositum. Hi namque motus ei repugnant, vt vidimus. An verò versùs alia latera, à quibus infinitatem non habet, moueri illud possit, dubitabile est. Existimo posse. Primùm quidem; quia in eo, quòd quantum infinitè extensum versùs ea latera moueatur, versùs quæ non est infinitum, sed finitum, nulla cernitur repugnantia. Deinde; quia supposito, quòd spatium locale infinitum habet determinatum centrum, vt ostendimus proposit. 27. Si daretur linea incipiens à centro versùs Orientem infinita, transferri illa à Deo posset ad spatium lineale ipsi æquale, quod est ab eodem centro versùs meridiem, vt posset à Deo in tali spatio principio collocari: quis dubitet? Idque siue per saltum, siue continuè ferendo illam quasi circulariter per omnia spatia linealia ipsi, & interse æqualia, & incipientia à centro, quæ interiacent ab orientali vsque ad meridionale. Vt enim in quouis eorum, vtpote tali lineæ proportionato, posset Deus citra omne dubium illam vnicè collocare; ita & posset illam per ea omnia continuè traducere; atque ita ab spatio lineali orientali vsque ad meridionale quasi circulariter, siue in gyrum mouere.

Dices, id fieri non posse. Quia ab spatio li- 135
neali orientali vsque ad meridionale nequit non esse interposita distantia infinita; eo quòd talia spatia, vtpote infinita, infinitè distant à centro; &, quò magis distant à centro, eò magis distant interse. Respondeo primò, etsi inter duo dicta spatia esset infinita distantia, nihilominùs prædictam lineam posse à Deo per illam ab vno extremo ad aliud moueri; si non motu adæquatè successiuo; quia omne infinitum est successiuè impertransibile; motu tamen quoad aliquas partes finitas successiuo, & quoad residuas simultaneo. Quod satis est ad nostrum intentum. Respondeo secundò, inter duo prædicta spatia linealia nullam distantiam esse infinitam: quia impossibilis est distantia infinita inter duos terminos clausa iuxta prodosit. 18. Tametsi sit multitudo infinita distantiarum proportionaliter inæqualium, quarum singulæ in se sunt finitæ. Quo solum iure dicta spatia linealia dicuntur eò magis distare interse, quò magis distant à centro: quia nimirum, quò magis eorum puncta distant à centro, eò magis interse distant, sed semper finitè. Sicut enim benè cohæret, ea esse infinita, & nullum omnino habere binarium punctorum distantem infinitè à centro iuxta proposit. 18. citatam, ita & nullum habere binarium punctorum distantium infinitè interse; prout opus erat, vt inter ea daretur aliqua infinita distantia. Vnde aliud est, illa esse infinita, aliud distare illa infinitè à centro. Primumque est verum: quia carent fine; impertransibiliaque sunt successiuè. Secundum falsum propriè loquendo: quia neque vlla eorum pars distat à centro infinitè, vt constat ex dictis, neque tota partium collectio: cùm hæc potiùs sit coniuncta cum centro per suam ab eo latere partem extremam.

Ex dictis infertur, si Deus produceret soli- 136
dum vndequaque infinitum, atque adeò replens omnino totum spatium locale, fore vtique, vt illud neutiquam moueri posset motu vllo directo; quia neque esset, quò tenderet, neque vnde recederet per talem motum iuxta argumenta facta supra pro lineâ infinitâ. An verò posset tale solidum intra ipsum totum spatium, quod occuparet, moueri quasi circulariter circumcirca centrum ipsius spatij, dubitabile est. Existimo fore, vt posset. Primò; quia in tali motu nulla cernitur repugnantia. Secundò; quia certum est, omnem sphæram in se finitam circulariter moueri posse circa suum centrum. Illud autem solidum ex multitudine infinitâ sphærarum in se finitarum esset com-

compositum, quarum maiores includerent inse minores; omnesque subinde essent concentricæ, siue habentes idem centrum. Atque ita moueri totum posset; quia omnes omnino sphæræ, ex quibus solis constaret, vtpote finitæ in se, moueri circulariter possent simul, & absolute. Ex eo enim, quòd illæ quoad multitudinem essent infinitæ, solum sequitur; non posse earum collectionem moueri in directum, qua ratione infinitam extensionem constituunt à centro versùs quoduis latus circunferentiæ. Circulariter verò non est, cur moueri non possent; quandoquidem nullam vt sic extensionem infinitam componerent. Quod vt manifestiùs appareat, ponamus à centro spatij localis sub angulo recto duas lineas in infinitum extensas esse, alteram versùs Orientem, & alteram versùs Meridiem, & inter illas inclusam totam, quam capere possunt, superficiem planam extensam pariter infinitè. Certè in tali superficie, & inter tales lineas, etsi sint quadrantes circuli quoad multitudinem infiniti, atque ita proportionaliter inæquales, vt, quò magis à centro distant, eò sint maiores in se: attamen nullus omnino eorum inse potest esse infinitus; sed omnes omnino inse sunt finiti, vtpote clausi duobus terminis, iuxta proposit. 18. Totaque subinde superficies ab vtroque dictarum linearum latere finita est, quoad latitudinem scilicet contentam inter ipsas lineas; tametsi sit infinita quoad longitudinem à centro versùs latus oppositum absque vllo fine extensam. Quo fit, vt talis superficies versùs latera linearum dictarum quasi circulariter esset mobilis circa centrum, scilicet versùs Septentrionem, & versùs Occasum; prout paulò ante de lineâ rectâ à centro versùs Orientem extensâ infinitè dictum est. Cumque huiusmodi superficies manifestè sit quarta pars integræ superficiei maximæ diuidentis totum spatium locale bifariam, valentisque bifariam diuidere solidum, quod totum illud repleret si daretur. Planè sequitur, hanc superficiem maximam, licèt à centro versùs quoduis latus in directum considerata sit infinita, at circulariter consideratam finitam necessariò esse; tum quia compositam ex quatuor partibus sub ea consideratione finitis; tum quia compositam ex circulis semper inse finitis; tametsi proportionaliter se excedentibus absque eo, quòd vllus sit vltimus, atque ita quoad multitudinem infinitis. Vndè rursùs sequitur, huiusmodi superficiem maximam circulariter circa centrum bene moueri posse intra spatium ipsum, quod occupat; etsi in directum versùs nullum latus possit moueri. Ex quo, tandem concluditur, solidum replens totum spatium locale consideratum circulariter, siue in gyrum finitum, & mobile esse, vtpote compositum tum ex sphæris semper inse finitis sub eâ consideratione, & mobilibus; tametsi quoad multitudinem infinitæ, vt sicque etiam immobiles sint; tum ex octo partibus inse etiam finitis, & mobilibus, in quas per tres superficies maximas eiusdem centri ad angulos rectos se secantes diuisibile est. Sicut superficies maxima in quatuor est diuisibilis iuxta dicta per duas lineas etiam maximas ad angulos rectos se secantes in centro.

Propositio 32.

137 De quanto metaphysico seu finito, seu infinito, quod per æquiualentiam solùm est tale, perinde ferme, suâ seruatâ proportione, philosophandum est, ac de quanto physico seu finito, seu infinito, quod formaliter tale est.

Quia passiones conuenientes quanto physico, cui quantum metaphysicum æquiualere censetur (quale est quantum intensionis, quod ad quantum multitudinis reuocatur iuxta dicta supra q. 1.) plerunque veniunt adaptandæ quanto metaphysico suo modo, vt ex sequentibus apparebit.

Propositio 33.

Quantum metaphysicum æquiualens 138
physico finito finitum est, æquiualens verò physico infinito infinitum.

Est certum. Quia quantum metaphysicum eatenus quanto physico æquiualere dicitur, quatenus ex totidem partibus aliquotis, atque illud, per quamdam æquiualentiam censetur compositum. Erit ergo finitum, si sit æquiualens quanto physico finito, atque adeò ex partibus tum inse, tum quoad multitudinem finitis composito iuxta proposit. 5. Infinitum autem si sit æquiualens quanto physico infinito, atque adeò composito ex multitudine infinitâ quarumuis partium aliquotarum iuxta proposit. 9.

Propositio 34.

Quantum metaphysicum æquale mul- 139
titudini finitæ quantorum eiusdem generis inse finitorum necessariò est finitum.

Quia multitudo finita partium in se finitarum, cuiusuis illæ generis sint, necessariò constituunt quantum finitum iuxta proposit. 4. Quantum autem æquale quanto finito necessariò est finitum. Quia quantum infinitum nequit esse æquale finito iuxta proposit. 11. Itaque si detur ens quoad bonitatem, aut perfectionem, aut potentiam, &c. æquale aggregato coalescenti ex quouis finito numero aliorum entium, quorum vnumquodque in se finitam bonitatem, aut perfectionem, aut potentiam, &c. habeat: illud quidem finitam etiam bonitatem, aut perfectionem, aut potentiam, &c. habebit: finitum ve quoad quoduis horum prædicatorum erit.

Propositio 35.

Quantum metaphysicum æquale mul- 140
titudini infinitæ quantorum eiusdem generis inse finitorum, aliquotorumque, siue æqualium non potest non esse infinitum.

Quia talis multitudo quantorum non potest non constituere quantum inse, siue in suo genere infinitum iuxta proposit. 10. Et quantum æquale quanto infinito non potest non esse infinitum: quia finitum infinito æquale esse nequit iuxta proposit. 11. Itaque, si detur ens quoad bonitatem, aut perfectionem, aut potentiam, &c. æquale aggregato coalescente ex quauis multitudine infinitâ aliorum entium inse finitorum, & æqualium

lium quoad bonitatem, aut perfectionem, aut potentiam, &c. illud quidem necessario infinitum erit quoad bonitatem, aut perfectionem, aut potentiam, &c. infinitam ve bonitatem, aut perfectionem, aut potentiam, &c. habebit.

141 Quòd si quantum metaphysicum æquale multitudini infinitæ quantorum in se finitorum, & æqualium infinitum est; multò potiori iure infinitum erit primò id, quod fuerit æquale infinitæ multitudini quantorum, quorum aliquod, aut aliqua, aut omnia fuerint in se infinita, vt constat. Secundò id, quod fuerit æquale infinitæ multitudini quantorum inæqualium, atque adeò proportionalium, proportione videlicet ascendente, quorum minimum æquale fuerit singulis prædictis æqualibus, quando multitudines vtrorumque interse æquales sunt; vt constat etiam ex se, & ex dictis proposit. 23. Vnde etiam constat, quantum metaphysicum æquale cuilibet omnino multitudini infinitæ quantorum inæqualium, atque adeò proportionalium proportione ascendente, non posse non esse infinitum. Quia vt ibi statutum est, in qualibet omnino multitudine infinitâ quantorum proportionalium huiusmodi non possunt non contineri plures multitudines infinitæ quantorum aliquotorum, siue æqualium.

Ex hac propositione infertur, necessariùm esse, vt vice versâ omne quantum metaphysicum infinitum alicui multitudini infinitæ aliorum quantorum æquale sit: quia nequit non per æquiualentiam constare partibus aliquotis infinitis. Quod ipsum est, æquale esse multitudini infinitæ aliarum partium aliquotarum formalium, hoc est aliorum quantorum æqualium interse distinctorum.

Propositio 36.

142 Omnis series quantorum metaphysicorum in se finitorum, & proportionaliter se excedentium quocunque genere proportionis in suà possibilitate, seu quiditate necessario est infinita à latere, versùs quod ascenditur. A latere verò versùs quod descenditur, finita, reipsà, & independenter à nostrâ conceptione loquendo.

Hæc propositio per doctrinam supra statutam proposit. 22. & 23. venit pariter demonstranda. Recognoscatur & applicetur, ne actum agamus. Itaque series creaturarum possibilium quoad perfectionem, aut bonitatem, aut potentiam, &c. in se finitarum, & sese excedentium proportionaliter infinita est, quo latere ascendit; finita verò, quo descendit. Ita, vt nulla sit eiusmodi creatura possibilis omnium perfectissima, aut optima, aut potentissima, &c. qua perfectior alia, aut melior, aut potentior, &c. dari non possit. Cum tamen aliqua sit possibilis in eiusmodi serie cæterarum omnium infima quoad perfectionem, aut bonitatem, aut potentiam, &c. Quod vtrumque contra nonnullos ampliùs confirmabitur infra q. 8. Vbi etiam videbimus, quomodò de quantis metaphysicis in se infinitis opposita phylosophia sit. Series quippe eorum à latere ascendente finitæ, à latere verò descendente infinitæ sunt, prout ibi commodiùs ostendemus.

143 Mitto plures propositiones ex præcedentibus statutis circa quantum physicum, quæ pariter quanto metaphysico applicari, & circa illud statui possent. Quia facilè, prædictis suppositis, ab vno quoque, proportione seruatà, poterunt applicari, & statui. Pergoque iam ad alias quæstiones.

QVÆSTIO III.

Vtrùm conceptus obiectiui reipsâ distincti, & propriam quiditatem habentes, atque adeò in se conceptibiles tam possibiles, quàm impossibiles intra statum quiditatiuum præcisè sint multitudine infiniti.

PRo exactâ intelligentià, resolutioneque huius 144
quæstionis suppono primò, impræsentiarùm dumtaxat solere verti in quæstionem à Doctoribus, vtrùm creaturæ possibiles sint infinitæ. Circa quam quæstionem Abaylardus, Vvicleffus, Ioannes Hus, & alij hæretici dixerunt, Deum non posse producere creaturas alias, præter eas, quas produxit defacto, animasque ad certum numerum, & non vltra posse creare. Quorum sententia damnata est in Concilio Constatiensi sess. 15, Ex catholicis item nonnulli relati à Pet. Hurt. disp. 13. Phys. sect. 1. & quidam alij Recentiores opinati sunt, creaturas possibiles, factibilesque subinde à Deo finitas quoad multitudinem esse. Opposita tamen sententia docens, esse infinitas, communissima est. Eam tenent S. Th. 1. p. q. 14. art. 12. & cum eo Thomistæ omnes Molin. ibid. Valent. disp. 1. q. 14. punct. 6. Vaz. disp. 63. cap. 2. Fasol. quæst. 7. art. 2. dub. 2. Pet. Hurt. vbi supra, Arriag. disp. 13. Phys. sect. 2. Ouied. contr. 13. Phys. punct. 3. Carlet. disp. 46. Phys. sect. 2. & 3. Lynce lib. 7. Phys. tract. 3. cap. 1. Et cæteri omnes Theologi, Philosophique, qui rem attingunt. Quorum multi de multitudine chymærarum impossibilium penitus tacent. Alij verò aut exprimunt, aut supponunt vt certum, eam esse infinitam. Ego verò sub præfixo quæstionis titulo, subque nomine conceptuum obiectiuorum tam possibilium, quàm impossibilium vtrarumque aggredior præsens examen, creaturarum scilicet possibilium, & chymærarum impossibilium.

Suppono secundò, ex conceptibus obiectiuis 145
chymæricis quosdam esse solùm per species alienas, atque adeò in substitutis alienis conceptibiles; quosdam verò etiam per species proprias esse conceptibiles in se iuxta doctrinam statutam in Pharo Scient. disp. 11. In præsenti ergo quæstione de secundis tantùm est sermo, vtpote qui soli habent in se propriam, veramque essentiam, seu quiditatem intra statum quiditatiuum iuxta doctrinam etiam datam ibidem.

Suppono tertiò ex dictis etiam loco citato, 146
nullum conceptum obiectiuum in ordine ad suam quiditatem posse esse impossibilem: quia nullus potest carere potentià ad essendum id, quod reipsà quiditatiuè est. Conceptus ergo obiectiui impossibiles dumtaxat sunt tales quoad existentiam: quia carent potentià ad existendum. Vnde benè stat, esse conceptum aliquem impossibilem, & chymæricum, atque adeò necessariò falsum quoad existentiam; & nihilominùs quoad suam quiditatem esse verissimum intra statum quiditatiuum; vt cernere est in secundo Deo, qui ex suo conceptu quiditatiuo verissimè est secundus Deus, impossibilis quoad existentiam, atque adeò Chymæricus.

Suppono quartò ex dictis in Pharo Scient. 147
disp.